MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80719-5

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

JUNG-JOHANN, JOHANN CHRISTIAN

TITLE:

DISSERTATIO HISTORICO-DOGMATICA

PLACE:

IENAE

DATE:

[1754]

Master Negative #

92-80719-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

D370.9
R11

Jung-Johann, Johann Christian, respondent
Dissertatio historico-dogmatica de vita ac doctrina Hrabani Magnentii Mavri, qvam...praeside Ioanne Francisco Bvddeo...1724...svbiicit avctor et respondens M. Ioh. Christian. Ivng-Iohann... Ienae, litteris Marggrafianis, [1724].
152 p. 20 cm.

45998

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10/12/92 INITIALS F.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

D370.9 R11

Butler Library of Philosophy

PHILOSOPHIA VIRTUTIS CONTINET ET OFFICII ET BENE VIVENDI DISCIPLINAM

Columbia University

DISSERTATIO HISTORICO-DOGMATICA
DE
VITA AC DOCTRINA HRABANI MAGNENTII MAVRI

QVAM
IN ACADEMIA SALANA
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE IVLIAE CLIVIAE ET MONTIVM
ANGARIAE AC WESTPHALIAE RELIQVA
PRAESIDE
IOANNE FRANCISCO BVDDEO
SACR. LITER. D. ET PROF. PVBL. ORDIN.
SERENISSIMO DVCI SAXO-HILDBVRGHVSANO A
CONSILIIS ECCLESIASTICIS, CIVIVMQVE DITIONIS
GOTHANAE ET ALTENBVRGENSIS IN HAC ACADEMIA
INSPECTORE GRAVISSIMO
PATRONO AC PRAECEPTORE GRATO ANIMO
DEVENERANDO
AD DIEM X. MAII MDCCXXIV.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIICIT
AVCTOR ET RESPONDENS
M. IOH. CHRISTIAN. IVNG-IOHANN,
RVTTERSDORFIO-EISENBERGENSIS.

IENAE, LITTERIS MARGGRAFIANIS.

Butler

D 370.9
R11

PROOEMIVM.

V*Itam* ac *doctrinam* HRABANI MAGNENTII, cognomine MAVRI, diſſertatione hiſtorico-dogmatica exponere iam aliquantiſper animo mecum decreueram, cum magnificus ac ſumme reuerendus praeſes ante biennium ferme in collegio ſummis illum laudibus proſequeretur, eoque ad inſtitutum fortiter incipiendum calcar haud exiguum adderet. Horis proinde ſucciſiuis ab illo tempore, quae labori inſeruitura credebam, colligere coepi, idque eo magis, quo minus id literarum genus a viris literarum ſecreta amantibus improbatum fuiſſe conſtabat; qui potius multum huiusmodi laboribus delectati, aliorum huic rei impenſum ſtudium commendare, & ipſimet operi manus admouere nulli dubitarunt. Biographiarum, quas vocant, indices teſtimonium hac de re perhibent ſatis luculentum. Neque etiam res ipſa iniquum de ſe iudicium cuiquam, niſi momis omnia theonino dente corrodentibus, ferre permittit; quin potius contra hos ac ſimiles, quibus nil, niſi a ſe confectum placet, ſua ſe vtili iucunditate neceſſitateque tuetur. Viri enim de eccleſia bene meriti memoriam ſeruari poſteris, quid aequius? morum ac virtutum doctrinam exemplis potius, quam regulis formari, regique, quid notius? quid denique praeſtantius vel mente concipi poſſet, quam doctrinae verae ſeriem ordine decente exhiberi? His aliisque inductus rationibus praeſentem commentationem ſuſcepi, ſpe

fre-

fretus certiſſima, fore, vt nec conatus noſtri viris ingenuis diſpliceant. Argumentum elegi ad hiſtoriam Germaniae noſtrae ſpectans, in tempora tamen prolapſus, quae barbara vulgo vocantur, quibusque e veterum monumentis eruendis viri complures inſudarunt, doctrina pariter ac fama inluſtres. Nomina eorum laudauit vir non minus in hoc labore aſſiduus, IO. GE. ECCARDVS *in breui ad Germaniae hiſtoriam introductione*, praeſertim cap. VI. p. 7. ſq. cuius nuperum ad caſtra Romani pontificis tranſitum merito dolemus. Labores non eadem ſemper intentione, dexteritate ac felicitate ab omnibus impenſos eſſe, conſtat. Quidam enim colligendis aliorum monumentis ac ab interitu vindicandis dedere operam. Res nonnullas ob aeui indolem perquam obſcuras doctis commentationibus illuſtrarunt alii. Nec minus complures decenti ordine hiſtoriam ſacram & ciuilem exhibendam ſibi ſumſerunt. Vitas virorum quorundam illius aetatis vita ac doctrina conſpicuorum ſcribere allaborarunt nonnulli. Ab his vero illi rurſus diſtinguendi veniunt, qui ad doctrinae, cui addicti fuerunt, ſeriem ſelecta compilare teſtimonia aggreſſi ſunt. Sicut autem omnes negotio noſtro haud parum prodeſſe, quilibet per ſe videt, ita nec vlla ratione negari poterit, multa adhuc ab his poſteris fuiſſe relicta, quae vlteriori egent disquiſitione. Hinc ſubinde obſcurioribus illuſtrandis, diſponendis, quae ſine ordine ab aliis collecta, examinandis dubiis, erroribus indicandis, occultis in lucem protrahendis, edendis anecdotis, conquirendis veri indiciis, aliisque huc ſpectantibus animum calamumq; hodie adhuc applicare complures ſolent. Barbara omnino ſunt haec ſecula & nouum ſemper negotium faceſſunt viris, etiam ſatis harum rerum peritis. Nihilo minus tamen & ipſe periculum feci. Nec me a propoſito ſemel concepto anteceſſorum adhuc prohibuit auctoritas, quin id pro viribus exequerer; non deterruit aeui barbaries, non prolixa laboris difficultas, non

pro-

profectuum rei accommodatorum defectus conſcientia, quin improbo labore ſuperare ſtuderem, quae inſtitutum impedire videbantur. E fontibus genuinis, qui haberi poterant, vitam confeci, quae ab aliis monita legi, examinanda ſuſcepi, vera retinui, erronea, ea, qua par eſt animi moderatione ac modeſtia refutaui. Quae dubia erant, certis ſuperſtruxi fundamentis, vel vbi hoc fieri non poterat, plane omiſi, maxime, ſi ab inſtituto aliena, & ita comparata erant, vt, vera ſint, necne, parum intereſſe videretur. Ordine ſingula conueniente diſpoſui, nunquam ſine neceſſitate a ſcopo digreſſus. Dogmata e genuinis HRABANI ſcriptis excerpta vbiuis dare conatus ſum, pauca, at ſelecta. Caeterum vbi vera dixerim, aut errauerim, ipſe L. B. iudicet, haec ea, qua virum moderatum decet, ratione omnia contemplatus, & vbicunque a vero diſceſſiſſe me videbit, hominem fuiſſe, cogitet, a quo errare poſſe non iudicatur alienum, erroremque modeſte indicet, vt ipſi denuo examinando inſudare poſſim. Materia ardua, intricata, obſcura, fontesque non ſemper obuii ſunt. Audi CHRISTOPH. BROWERVM ſua iam aetate querentem de *confuſis alibi, vel penitus obliteratis aetatum notis, antiqu. Fuld.* L. IV. *argumento* p. 273. Dolet TRITHEMIVS de deperditis hiſtoriae fontibus vel latentibus ſaltim in *epiſtola ad* ALBERTVM ante RABANI vitam poſita, quam tamen iuſſu ALBERTI electoris, acceptisque hiſtoriae monumentis, quae proſtabant, conſcripſit. *Quippe*, ait, *qui nullum ante me fixum, ſolidum & ſufficientem de hac ipſa materia potui habere ſcriptorem ſed primus author eſſe ſine praecedente compellor, & ex multis atque diuerſis agellis decidentes colligere ſpicas. --- Plures, fateor, hiſtoriarum ſcriptores varia laudum praeconia de hoc beatiſſimo ac doctiſſimo viro in ſuis lucubrationibus paſſim hinc inde ſcripſerunt, quorum tamen nullus vitam eius continuata ſerie compoſuit.* Huius igitur labor vix minimam vitae ipſius partem abſoluit, cum multa penitus falſa ſe vbiuis prodant, fabularumque apparatus & ſuperſtitionis laudes aeque, ac in RODOLPHI vita magnam ipſius partem conficiant. Opera hinc denuo impenſa haud inique collocata videtur, qua ordine decenti maiorem

rerum,

rerum ad vitam ipſius pertinentium copiam ex probatis ſcriptoribus dedi. Inluſtratur hoc ipſo magna illius ſeculi pars RABANI meritis rebusque geſtis inclyta. Et ſi nihil aliud, hoc ſaltem ex dicendis abunde patebit, nullam eſſe idoneam ſatis cauſam viris quibusdam doctis de barbarie huius aeui nimia, ac penitus neglecto ſcripturae ſtudio conquerendi, aſſerendique, nulla prorſus veri ſpecie doctores hosce cum viris ſeculo priori claris conferri poſſe. Fecerunt id *Centuriatores Magdeburgici* ad h l. aliique; at errorem quilibet haud difficili labore vel ex dicendis cognoſcet, vt non opus ſit prolixiori refutatione. Neque tamen eorum addicti ſumus ſententiae, qui cum clar. POLYC. LYSERO, auream ſibi quandam heic aetatem finxere. Media potius via heic quoque incedere, tutiſſimum eſſe, arbitrabar. Quamuis enim haud pauci exſtiterint huius ſeculi doctores ſcripturae literarumque ſtudiis apprime inluſtres, quorum ſubinde exempla in ipſa tractatione occurrunt; non minus tamen multos ignauiae, ignorantiaeque potius, quam doctrinae ſacrae pariter ac prophanae operam dediſſe, euidentiſſime patet. Nonnulli equidem literis operabantur, at coacti, hinc parum profeciſſe mirum non eſt. Nec etiam diu muſae florebant ab ALCVINO ac RABANO non parum nitori ſuo reſtitutae. Nam labente iam ſeculo nono inertia priſtinum recuperauit locum. Deduxit haec vlterius, quod ad linguae praeſertim latinae fata adtinet, clar. IAC. BVRCKARDVS *de fatis linguae latinae in Germania per XVII. amplius ſecula* c.III. P.II.p.63. ſqq. Atque ex hactenus dictis inſtituti vtilitas pariter ac indoles vera, ni fallor, ſatis adparet. Nil magis eſt in votis, quam vt beneuolus lector aequi bonique conatus noſtros conſulat, quae non placent, mittat, errores emendet, quae deſunt, ſuppleat, perpetuo auctorem fauore, placidaque cenſura ingenii foetum dignetur. Sua vero gratia adſit coeptis numen ſupremum, lumen cognitionis accendat, animumque ſpiritu ſancto ad cognoſcenda iudicia & oeconomias temporum, veritatemque rite ac ſalutariter indagandam colluſtret in ſacroſancti nominis ſui celebrationem ac reipublicae, literariae inprimis, incrementum per Chriſtum; amen.

CLA-

Q. D. B. V.

PARTIS PRIMAE
De
VITA HRABANI MAGNENTII MAVRI
σύνοψις

NOmina. MAGNENTIVS a familia. HRABANI proprium, adſcititium MAVRI nomen. §. I.
Parentes indicantur ac vindicantur. §. II.
Annus natiuitatis. §. III.
Patria, non niſi MOGVNTINA vrbs. §. IV.
RABANI alii. Puer quid noſter egerit? §. V.
Monachus FVLDENSIS. Diligens. §. VI.
Apud ALBINVM CAESARODVNI biennio inſtituitur. § VII.
Docere incipit. Vbi. Qvomodo, §. VIII.
Qvos, qvamdiu. Presbyter. §. IX.
Abbas FVLDAE non ſine laude, §. X.
Exul, cur, vbi. quid egerit? §. XI.
Archi-epiſcopus. Synodus MOGVNTINA prima. Canones. Pſeudoprophetiſſa. §. XII.
Altera, praeſertim contra GOTHESCALCVM. De eo qvaedam generatim. §. XIII.
De huius perſona ac fatis ante concilium §. XIV.
In ſynodis. MOGVNTIACA §. XV.
CARISIACIS, §. XVI.
Patroni & adverſarii §. XVII
Dogmata §. XVIII.
Dubia MAVGVINI contra hiſtoriam §. XIX.
Contra dogmata §. XX.
Ἐπίκρισις §. XXI.
Moritur HRABANVS ac ſepelitur MOGVNTIAE, aetas, translatio §. XXII.
Doctrina & ſacra & profana inluſtris. §. XXIII.
Laborioſus. Pius erga Deum, non tamen omnis ſuperſtitionis expers. Humilis. Liberalis. Epilogus. §. XXIV.

A §. I.

§. I.

HRABANI MAGNENTII, cognomine MAVRI, vitam B. C. D. delineaturis, pauca de nominibus, quae ad ſcopum maxime ſpectant, praemittere, ordo quem ſequimur, naturae, iniungit. A familia namque MAGNENTIVM dici, paucis interiectis ex IO. TRITHEMIO probatum dabitur, cui in re, de qua omnes ſcriptores eccleſiaſtici ſiluere, maior, quam fictis incertisque recentiorum quorundam coniecturis, merito auctoritas tribuitur. (a)Scripſit etenim vitam RABANI iuſſu ALBERTI MARCHIONIS BRANDENBVRGICI, ſedis MOGVNTINAE ac MAGDEBVRGENSIS tum archi-epiſcopi, & ſic, quibus tum fieri poterat, hiſtoriae monumentis inſtructus (b). Inſuper SIGEBERTVS quoque GEMBLACENSIS MAGNETIVM vocat (c). Certe maiori fundamento noſtra nititur ſententia, quam illorum, qui vel ab vrbe MOGVNTINA, in qua natus ſit, vel ad explicandum (d) RABANI nomen ita dictum, ſine vlla veri ſimilitudine perſuadere conantur. HRABANI nomen noſtrati proprium eſſe, euidentius probare licet. Ita ipſe in epitaphio (e) ſuo:

> HRABAN *nempe mihi nomen, & lectio dulcis,*
> *Diuinae legis ſemper vbique fuit.*

Hinc inde etiam, hoc nomen ſuum eſſe, teſtatur in poematibus (f). Vt hinc merito ſuſpecta videatur NIC. SERARII (g) aliorumque ſententia, qua ex רבן Ebraeorum, nomen accepiſſe ferunt, quaſi dixeris *magnum doctorem, virum ſingulari doctrina inſignem.* Hoc enim ſi foret, nullum prorſus proprium ei nomen fuiſſet, quo tamen alius ab altero diſtinguendus venit: niſi fortean parentes, qui id nomen impoſuerunt puero, praeſagiiſſe

giiſſe credantur, magnum aliquando nomine ac omine doctorem noſtrum fore, quod aniles fabulas ſapit. Nec quenquam remorabitur, ſi HRABANVM legerit, alibi RHABANVM. Etenim H eſt imitamentum ſpiritus aſperi *Graecae* literae ϱ, praefigi vel apponi ſoliti. Qua in re *Latini Graecos & Ebraeos* ad pronuntiationem intendendam imitari videntur in vocibus, quas imis de faucibus pronunciare natura iubet. *Aſpiratio enim eſt ſonus vberius eleuatus. Cui contraria eſt proſodia, ſonus aequaliter flexus.* (*h.*) Sic legi potisſimum ante R. & L. apud ſcriptores medii aeui, (i) nec non in quibusdam aliis. Inuenies porro nomen eius hinc inde mutatum. RABBANVS, (k) RAHTBANVS, (l) RABANON, (m) BABANVS (n) dici ſolet. MAVRI (o) denique cognomentum ab ALCVINO praeceptore accepit. Nec illa aetate inſolitum erat, viros Germaniae doctos *LATINIS* (p) agnominibus inſigniri. Num vero in honorem MAVRI S. BENEDICTI quondam (q) diſcipuli longe celeberrimi ita dictus fuerit, aliis euincendum relinquo. Integram interim ab hoc MAVRO *congregationem S.* MAVRI *ordinis Benedictinorum* ſuum nomen ſortitam eſſe, conſtat. Re igitur incerta, rationem hac magis probabilem inuenire cuiuis licebit. Vnicum adhuc notaſſe ſufficet de compoſitione horum nominum, quod lectori haud ingratum erit. Vix integrum nomen vllibi expreſſum deprehendes. Raro RABANVM MAVRO iunctum leges. (r) Nec minus MAGNENTIVM fruſtra reliquis adpoſitum qvaeres, vel ſi in editione operum & etiam alibi, licet rarisſime legeris, praemiſſum reliquis nominibus videbis, cum tamen familiae indicium ſequi vulgo ſoleat. At hoc genio illorum temporum ſatis accommodatum (s) eſt, quo poſtremo loco poſitum ſemper cognoſces proprium nomen.

(a) Jta Cl. DAV. HOFFMANNVS Eliſab. Uratisl. Prof. P. diſſ. de OTFRIDO *mon. VVeisſenb.* ad §. I. not. ***, *Poſtremum*, ait, ſc. MAGNETII nomen, *a patria Moguntia, quae &* MAGENTIA *aliquando dicitur, adhaeſit. Meliori certe fundamento*, (ſed qvali) *haec nititur ſententia, quam illa, quae eum cum* TRITHEMIO *ex familia* MAGNENTIANA *ortum, ait, ipſo* MABILLONIO *hac de re merito* (non tamen prorſus, nec eodem, quo Dominus auctor ſenſu) *dubitante.* FR. SPANHEMIVS *hiſt. Chriſt.* ſec. IX. col. 1405. parum ab hac ſententia recedit. RABANVS, inquit, *cognomento* MAVRVS, *ordinis* BENEDICTI *primo monachus, & ſeu a loco natiuitatis, ſeu ab epiſcopatu Magnentius ſeu Moguntinus, ſeu verius ſic reddita voce* רבן *Rabban.* At MOGVNTINAM vrbem MAGENTIAM quoque dici, haud legi, nec praefracte tamen negare auſim. Nihilo minus ex ſequentibus abunde patet, vel minimum probabiliorem, ni prorſus certiorem dixerim, noſtram ſententiam eſſe.

(b) Teſtatur hoc in praef. ad eundem, *Vitae* libris praemiſſa. MEGINFRIDVM ſcriptorem illorum temporum ſecutum eſſe, mox ex ſequentibus patebit vlterius.

(c) *Catal. ſcript. eccl.* c. 90. RABANVS, *qui &* MAVRVS, *ſiue* MAGNENTIVS, *ex abbate* FVLDENSI *archi-epiſcopus* MOGVNTIAE. adde IO. MABILLONIVM T. II. *ann. Bened.* ad a. c. 794. L. 26. §. 39. p. 315. *Vnde fortean* MAVRVS MAGNETIVS *ab* ADEMARO ECOLISMENSI *monacho & a* SIGEBERTO GEMBLACENSI *adpellatur.*

(d) qvod praeter SPANHEMIVM facere conatur NIC. SERARIVS *rerum Mog.* L. IV. Arch. VI.

(e) Exſtat T. VI. opp. p. 229. a. ap. SERAR. l. c. aliosque quam plurimos.

(f) poem. I. ad GERFRIDVM epiſcopum, inter *poemata de diuerſis a* CHRISTOPH. BROWERO edita T. VI. opp. p. 202. b. it. ad FRIDERICVM Epiſc. p. 206. a. ad SAMVELEM presbyterum p. 208. a. in rythmo *de fide catholica* p. 213. b. p. 217. aliquoties, & paene ſemper leges.

(g) l. c.

(h) v. JSID. HISPAL. *originum* L. I. C. IV. p. 3. col. i. B. & DAV. HOFFMANNVM l. c.

(i) Sic leges HRINGE, locum, ubi reges AVARORVM cum principibus ſuis ſedere conſueuerant. v. *ann. Franc.* MSS. ap. LAMBECIVM *bibl. Caeſ. Vindob.* P. II. p. 379. ſic ſaepe leges HLODOVICVS, HLOTHARIVS, &c. nec opus eſt loca vbiuis obuia huc deſcribere.

(k) Jta ſaepius legit SIGEB. GEMBL. in *chronogr.* quem alii male ſequuti v. ANT. POSSEVINI *appar.* S. T. II.

(l) RAHTBANVS MAGVNTINVS *archi-epiſcopus*, legitur in *ann. Franc. Metenſ.* ap. ANDR. du CHESNE *ſcript. hiſt. Franc.* T. III.

(m) v. NITHARTI. *hiſtor.* L. III. ad a. c. 842. ap. eundem p. 372.

(n) v. FR. SPANHEMIVS ad h. t. *Quemadmodum* RABANVS *etiam in MSS.*

MSS. inſcribitur BABANVS, ita recte BERTRAMVS legitur ex ipſius mente pro RATRAMNVS, ac vna vtroque nomine perſona deſignatur.

(o) Teſtatur id HRABANVS ipſe praef. ad HILCVINVM ante com. in *lib. reg.* T. III. opp. p. 45. M. LITERAM inquit, MAVRI *nomen exprimentem, quod magiſter meus b. memoriae* ALBINVS *mihi indidit, praenotare curaui, vt diligens lector ſciat, quid quisque de ſuo proferat, quidque in ſingulis ſentiendum ſit, decernat.* Hinc IO. TRITHEMIVS in *vita* ab initio RABANVM *cognomento* MAVRVM dicit. Scripſit etiam ALCVINVS ad diſcipulum breui ante mortem: *benedicto S.* BENEDICTI *puero* MAVRO, EP. LV. & Carm. CVII. Ex quo ita JO. MABILLONIVS ad DCCCII. T. II. *ann. Ben.* L. 27. p. 36. infert; *In his porro ſcholis* RABANO *adſcititium pro more illorum temporum nomen* MAVRI *impoſuit* ALCVINVS.

(p) obſeruauit id CHRISTOPH. BROWERVS *antiq. Fuld.* L. I. c. XIV. p. 61. ſeq. *Vnum in hac doctrina, ſcriptisque nobilium hominum hucusque a me pertexta corolla obſeruatu quoque dignum inuenio, quod nominum ornatu peregrino delectati, vel ob inſigne magiſterii, vel imitationem exempli vel aucti ex eruditionis & virtutis fama honoris, vel ob aliam non perinde compertam nobis in praeſentia cauſam praeter Germanicum Francicumque, Latinum in Fuldenſi monaſterio nomen aſſumpſerint. Nam vt* ALBINVM FLACCVM *in* ALCVINO, MAGNENTIVM MAVRVM *in* RABANO, STRABONEM *vel* STRABVM *in* WALAFRIDO, *quae literarium album ſapiunt, omittam, in* BONOSO *glorioſo,* CANDIDO *ac* MODESTO *huius loci coenobitis exploratum habeo, eorum vernacula nomina* HATTO, BRVN *&* RECHIO *exſtitiſſe. Quare & honorariam nominis profeſſionem* FLACCVM, MAGNENTIVM, BONOSVM, STRABVM, PROBVM, LVPVM *abolito apud Francos, nec in ſacro quidem fonte paſſim recepto Latialium nominum vſu dubitare nihil attinet.*

(q) v. NIC. SERARIVS l. c. MAVRVM *vero in librorum eius inſcriptionibus lego pene ſemper, & ne* MAVRITANIAE *prolem quis credat, praeſertim quia his temporibus* (vix circa 802. 803. 804. quibus tamen haec facta eſt nominis impoſitio) MAVRI, *vt aiunt* PITHOEANI *annales anno DCCCXLVI.* ROMAM *oppugnarunt & S.* PETRI *eccleſiam vaſtarunt & anno 843.* BENEVENTVM. *Quam hodie in Germania multi Mor cognominantur? Forte id etiam a* MAVRO S. BENEDICTI *candidiſſimo diſcipulo cognomen accepit.*

(r) Sic legitur in ep. HVMBERTI epiſc. Würzb. praemiſſa Com. in JVDICVM & RVTH. libros. *Illuſtriſſimo viro meritoque inſigni ac praeſtantiſſimo patri* HRABANO MAVRO. & WALAFRIDVS STRABO carmen ſcripſit ad MAVRVM RABANVM *abbatem Fuldenſem magiſtrum ſuum,* opp. T. VI. p. 231. b.

(s) Obſervat hoc ex IAC. SIRMVNDI notis ad APOLLINAREM SI-

SIDONIVM MABILLONIVS T. II. ad a. 758. p. 186. *ann. Ben. Apud mediae aetatis homines morem obtinuiſſe, vt cum multis fere nominibus nobiliores, illuſtrioresque viri vterentur, proprium tamen cuique nomen fuerit, quod poſtremum ſemper collocarent, contra veterem Romanorum vſum, quibus proprium id nomen fuit, quod primum, i. e. praenomen. Id obſeruandum in* PASCHASIO RADBERTO, SERVATO LVPO, *uti &* FLACCO ALBINO, *quorum id proprium nomen, quod poſtremum eſt, adſcititium, quod primum.*

§. II.

Parentum mentionem ante IO. TRITHEMIVM ſcriptorum nemo fecit. (a) Vnicus hic vel primus ſaltim omnium patrem RVTHARDVM & ALDEGVNDEM matrem adpellat. (b) Eadem mens fuit NATALIS ALEXANDRI (c) & IO. MABILLONII, (d) qui inſimul *fratrem* ac *nepotem* RABANI *illuſtri genere* prognatos adfirmat. Operae pretium eſt haec paulo latius diducere. TVTINVM fratrem fuiſſe RABANI, ac inter proceres terrae, genere non minus, qvam dignitate eminentem, vel ex *epithaphio* (e) patet, quod eidem RABANVS conſtituit:

Hic iacet inſignis vir nomine Tutin humatus,
Complens comunem ſorte vocante diem.
Alta clarorum qui natus ſtirpe parentum
More omni proceres aequiparauit auos.
Ingenio, probitate, fide, verbique decore
Inter regales vixit honore viros.
Quem iuuenem mediis cecidiſſe viriliter armis
Effecit Domini gratia magna ſui.
Frater PONTIFICIS *fuit ille celerrimus armis.*
Qui huc GERMANI *detulit oſſa ſui.*
Flecte genu, palmasque leua, bone lector & orans
Dic, precor, AMBOBVS *propitiare Deus.*

Quid clarius dici potuiſſet, quam quod eundem germanum ſuum, cum pontifex MOGVNTINVS eſſet, vocat, cuius in bello interfecti oſſa MOGVNTIACVM detulerit. GVN-

GVNDRAMNVS vero levita cellae S. SOLAE praepoſitus & capellanus Germaniae Regis, adeoque in palatinorum numero habitus fuit. Poſuit eidem (f) ex fratre nepoti ſuo, & uxori OTDRVDAE (g) pariter RABANVS epitaphium. Illuſtrat hoc CHRISTOPHORVS BROWERUS (h) obſervans, militasſe eum antea in palatio ac Regis liberalitate SOLÆ curiam accepiſſe, quam dein monaſterio FVLDENSI donavit, vitam monaſticam acturus, a qua tamen denuo ad Regum obſequia auocatum fuiſſe putat. Haec ſiquis aequa animi lance conſideret, nullus dubito, fore, vt de rei veritate dubitare ceſſet, ac TRITHEMIO plus fidei, quam hactenus fecit, praeſtet. Certe, cur ab eo in re dubia recedamus, cauſam, quae ſtringeret, nullam hactenus video.

(a) JO. MABILLONIVS T. II. *ann. Ben.* L. 26. ad a. c. 794. §. 39. p. 315. *Apud antiquos nulla eius parentum mentio. Primus ni fallor,* TRITHEMIVS. &c
(b) *In Vita* L. I. p. 10. *Cujus,* ait, *pater nomine* RVTHARDVS MAGNENTIANA *familia ſatus, vir diues & potens, multo tempore ſub* FRANCORVM *principibus in Germania ſtrenue militat. Mater vero dicebatur* ALDEGVNDIS, *honeſtiſſimae conuerſationis mulier.*
(c) *hiſt. eccl. N. T.* ſec. IX. & X. part. II. diſſ. XI. §. 1. p. 575. ed. in 8.
(d) l. c. *Certe* RABANVM *illuſtri genere progenitum fuiſſe conſtat; vt qui fratrem habuit* TVTINVM *virum cum primis nobilem; & ex fratre nepotem* GVNDRAMNVM *leuitam cellae* S. SOLAE *praepoſitum & capellanum Germaniae Regis adeoque in* PALATINORVM *numero, vt ipſe de ſe ait, nuncupatum.*
(e) Inter *poem. de diuerſis* T. VI. p. 230. a. n. 17.
(f) ib. n. 18.
(g) ib. n. 19.
(h) *antiqu. Fuld.* L. III. c. XIII. & *ſchol.* ad h. ll. p. 245. b.

§. III.

Annum natiuitatis cum IO. MABILLONIO (a) annum Chriſti DCCLXXVI. ponere non dubitamus. Nam DCCCI. iam *diaconus* fuit, cui functioni ante XXV. (b) *aetatis annum* tum praeficiebatur nemo. Incidit in hunc Chriſti annum utique annus imperii Caroli M. *triceſimus*

mus quartus, ad quem ita *annales Francorum* veteres: *Legatio* GRAECORVM *ad* AVGVSTVM *veniens pacem petit.* HRABAN DIACONVS *factus.* Licebit nobis huic calculo in ſequentibus inſiſtere, qui adcuratiorem, quo temporum harmonia fieri poſſet, hactenus nondum vidimus. IO. TRITHEMII (d) computum ſibi haud conſtare, bene iam notauit CAROLVS (e) LE COINTE, neque tamen meliorem ipſe certioremque viam ingreſſus eſt. Quamuis eorum ſententia tolerari adhuc prae aliis hac in re exſtantibus mereatur. (†)

(a) Certe, qui ante ipſum hoc meditatus fuerit, nullum reperi. Ipſe autem eodem duce hanc ſententiam vlterius examinare coepi, quam ſoluendis omnibus circa temporis rationem obortis dubiis aptam eſſe deprehendi. v. *ann. Bened.* T. II. ad a. 794. L. 36. §. 39. p. 315.

(b) Siquis de re indubia praeter ſpem noſtram dubitauerit, quae ex canonibus & decretis illorum temporum de *aetate diaconorum* prolixe differit CASP. ZIEGLERVS de *diaconis* & *diaconiſſis* cap. VII. integro, legere haud grauetur.

(c) Edidit primum *Francorum annales veteres* ab anno c. 714. vſque 817. pertingentes, & literis Gothicis antiquis ſeu Toletanis ſcriptos ex MSS. bibliothecae Vindobonenſis PETR. LAMBECIVS in Comm. de *bibl. Vind. Caeſ.* L. II. c. V. p. 365. cujus verba a nobis adducta exſtant p. 374. Annos vero regni Caroli M. quos normam ſuae rationis habent, cum annis Chriſti a PITHOEANIS ac FREHERIANIS *Francorum annalibus* obſervatis, in margine diligenter contulit LAMBECIVS.

(d) Ipſe TRITHEMIVS in *cat. ill. vir. opp.* P. I. §. IV. annum 785. natiuitati ejus tribuit, in vita vero l. c. DCCLXXXVIII. ſed vtraque ſupputatio aegre locum habet. ALBINVM namque mortuum audiſſe, ſequeretur, apud quem ſexennio diſcipulum fuiſſe tradit. Cum tamen probari queat, a. c. 803. vel 804. vita defunctum fuiſſe ALCVINVM. v. *Chron.* ODORANNI ap. PITHOEVM *ſcript. coaet. annal. & hiſt. Franc.* p. 214. BROWERVS *ſchol.* p. 234. b. Malae fidei doctis viris ſunt *chron. coenobii* MOISSIAC. ap. du CHESNE *hiſt. Franc. ſcript.* T. III. p. 145. & FLORIAC. ib. p. 335. in quibus annus Chriſti 806. morti eius aſſignatur. Neque etiam hinc numerus annorum deſideratus adhuc ſequeretur.

(e) Scripſit *annales Francorum eccleſiaſticos* & ad a. 785. T. VI. §. CVI. ſq. p. 288. ſq. prolixe, TRITHEMII chronologiam fallere, pronunciauit. Ipſeque, quod tamen Trithemium quoque feciſſe conſtat, anno DCCLXXXV. RABANVM natum eſſe putauit. Sed nec hac ratione locum habere poſſet, quod nota b. ac c. probatum dedimus.

(f) His immorari operae pretium haud videtur eſſe, hinc errorem indicaſſe ad refutationem abunde ſufficiet. ROBERTVS videl. GAGVINVS, aliis etiam GANGVINVS dictus, vir caeteroquin *non inductus & in hiſtoria, rhethorica ac poeſi haud vulgariter verſatus, in quo tamen fidem in hiſtoricis omnes deſiderant* v. IO. GOTTFR. OLEARII *bibl. ſcript. eccl.* T. 2. p. 134. qui hoc iudicium ex WHARTONI *app. hiſt. lit.* CAVI p. 121. adduxit. Scripſit librum *de geſtis Francorum* anno 1495. primum, vt finis teſtatur, ſcriptum, & ſaepius poſtea recuſum, in cuius Lib. IV. f. XXI. male adſeruit, noſtratem cum CLAVDIO, IOHANNE & ALCVINO in GALLIAM cauſa liberales artes docendi, migraſſe. CAROLVM M. regem magna animi eos contentione ſuſceptos probaſſe aliquantiſper, dein hinc inde iis loca aſſignaſſe, quibus ſinguli literas docere poſſent. Refert hoc MATTH. PALMERIVS in *chronico* ad h. a. ad a. c 791 obſeruante GEOR. CALVONERIO in margine, inter teſtimonia de RABANO p. 4. T. I. opp. Sed ex dictis ac in poſterum vlterius dicendis, falſa haec omnia eſſe, patebit. ALCVINVM enim initio ſolum a rege SCOTORVM ad CAROLVM miſſum fuiſſe, dein a ſuo rege precibus CAROLI impetratum, quis tam hoſpes in hiſtoria eſt, qui ignoret? Hiſtoriam aduentus CLAVDII, IOHANNIS, itemque ALBINI e SCOTIA reducis deſcribunt prolixe H. MVTIVS in *chronic.* ap. PISTOR. T. II. *ſcript. germ.* p. 61. ſq. AVENTINVS *ann. Boi.* L. IV. *Chronicon de geſtis* CAROLI M. ap. LAMBECIVM l. c. p. 324. ſq. At vbi RABANI iniiciatur mentio, non video. Imo quomodo id per ſuperius dicta fieri potuiſſet, ingenii tenuitas perſpicere vetat. Pari quoque abſurditatis exemplo, BEDAE MAVRVM fuiſſe diſcipulum contra omnem hiſtoriae ac chronologiae fidem adſerere quidam haud dubitarunt. Quos tamen nulla refutatione dignos eſſe, quilibet videt.

§. IV.

Ad *patriam* HRABANI pergimus, eamque MOGVNTINAM urbem fuiſſe, ad oculum demonſtrare praeſumimus. Teſtatur de adſerti veritate *epitaphium* a) ab ipſo b) HRABANO morti vicino MOGVNTIÆ ſcriptum:

Vrbe quidem (hac) c) genitus ſum ac ſacro fonte renatus:
In FVLDA d) poſt haec dogma ſacrum didici.

Luſcus quilibet viderit, opponi heic natiuitatis vrbem loco, quo inſtitutus dicitur. Ipſa vocum con-

ſtructio & natura ſuadent, comma poſt vocem *renatus* ponendum esſe. Quis dixerit vnquam: *Vrbe hac* in FVLDA? Praeterea HRABANVS in *epitaphio* breuiter exponit totum vitae transactae curriculum. Cur locum, quo literis operatus erat, prorſus omiſiſſet? Accedit, FVLDAM, quam communiter e) patriam noſtrati fuiſſe, complures credidere, vrbem f) nondum tum temporis fuiſſe. Nec temnenda ſunt verba MSSto de vniuerſo addita: RABANVS MAVRVS MOGVNTIAE *natus & renatus & a puero in* FVLDA *monachus, deinde cella incluſus, tandem in archi-epiſcopum aſſumitur* g). Alias quoque ita diſtinctum fuiſſe hoc epitaphium, aliis h) dudum eſt obſeruatum. Nec obſtant verba ipſius HRABANI in perſona ALBINI i) apud S. MARTINVM intercedentis pro ſe:

Ipſe quidem FRANCVS eſt atque incola ſyluae.
BOCHONIAE, huc miſſus diſcere verba Dei:

Quis enim non perſpicit, ex FRANCONIA oriundum atque FVLDAE aliquantiſper in monaſterio edoctum, tandem ad ſe RABANVM CAESARODVNVM miſſum fuiſſe. Incola enim loci cuiusdam dici quis poteſt, quo educatus eſt, literisque elegantioribus imbutus. Accedit, quod ſupra k) iam obſeruaui, patrem militem egisſe, hinc inde igitur migrantem fixum locum, quo perpetuo maneret, non habuisſe, dein pace reſtituta, vel militiae pertaeſum FVLDAE habitaſſe, vel ſaltim aliquandiu ibi degiſſe vitam, quis praefracte negauerit. Pari etiam facilitate nouum, quod moueri heic poſſet, dubium, elidi poſſe, crediderim. Dici quippe FRANCVM noſtratem, MOGVNTINAM vero vrbem tum temporis non ad GERMANIAM, ſed GALLIAM ſpectaſſe. At diuiſio *Germaniae* in *Germaniam orientalem vltra rhenum ſiue magnam & minorem verſus occidentem; minoris denuo in primam & ſecundam,* quae tamen utraque pars ſit galliae, ab aliis obſeruata dudum fuit. Hinc *Moguntinam* vrbem mox ad *Galliam* ſeu rectius *Franconiam orientalem,* mox ad *Germaniam* (l) relatam in ſcriptoribus illorum temporum vides. His inducti rationibus *Moguntinam* vrbem patriae ſolum RABANO fuiſſe, ſtrenue defendimus. Nec abhorrent ab hac ſententia GE. CALVONERIVS (m), CHRISTOPH. BROWERVS, n) NATALIS ALEXANDER o) BARONIVS p) BOLLANDVS q) CAROLVS r) LE COINTE. At ANGLVM s) SCOTVMue (t) eſſe, vix vlla ratione probabile fieri poterit. Errori fortean occaſionem dedit fabula GAGVINI ſupra a nobis exploſa.

(a) T. VI. opp. p. 229. 6. a.

(b) Rationem video nullam, cur id negare, vel ſaltim addubitare voluerit Cl. HOFFMANNVS l. c. cum neminem doctorum ſciam, qui negauerit, & ipſe contextus id ſuadeat. Nec *epitaphium* aptum ſibi fuiſſet, ſi FVLDAE ſcripſiſſet, qui MOGVNTIAE ſepeliendus erat.

(c) Hanc vocem male ab aliis omiſſam reſtituit ad ſenſum, verſumque complendum GE. CALVONERIVS *not.* ad *Teſtim.* de RAB. p. 14. opp. T. I.

(d) Hic ab aliis duo puncta ſenſu nobis aduerſo ponuntur.

(e) Poſt TRITHEMIVM fere omnes. Ita TRITHEMIVS in *vita: Patria* BVCHONICVS *in oppido Fulda natus.* adde *de ſcript. eccl. & catal. ill. Germ. ſcript.* de *viris ill. ord. S. Benedicti* L. 2. c. 39. L. IV. c. 81. CHRISTOPH. BROWERVM *antiqu. Fuld.* L. I. c. XIII. p. 55. *de* HRABANO *quid memorem, qui a pueris* FVLDAE, *vbi natus & enutritus &c.* SEB. MVNSTERVM *cosmogr.* L. III *in. Maguntia.* CASP. BRVSCHIVM in *monaſt. Germ. chron.* abb. V. GVIL. EYSENGREIN *cat. teſt. ver.* SIXT. SENENSEM *bibl.* S. L. IV. in RABANO, ARN. WIONEM Belgam Duacenſem L. 2. *ligni vitae de Mog. arch.* c. 26. & alios forſitan plures.

(f) Hanc in rem lubet breuem eius deſcriptionem dare. Eſt autem FVLDA locus pagi *Grapfelde* in ſylua BOCHONIAE, iuxta ripam fluminis FVLDA v. *Trad. Fuld.* ap. PIST. *inter ſcript.* VI. p. 519. dicitur FVLDA, vel etiam FVLDAHA ab eodem fluuio, monaſterium prope ſitum, ex quo ſucceſſu demum temporis vrbs, quam adhuc videre licet., orta. v. l. c. p. 523. SERARIVS *rerum Mog.* L. III. notat. XXXVI.

p. 519. diſtat a MOGVNTIA verſus THVRINGIAM XV. fere milliaribus in tractu fagorum ſyluis repleto. TRITH. *de viris ill. ord. Bened.* L. 2. c. 39. CANDIDVS ſeu vero nomine BRVN in EIGILIS *vita* ap. BROWERVM *antiqu. Fuld.* L. I. c. I. p. 2.

> *Ducitur in ſyluam fagi de nomine dictam*
> BVCHONIAM, *vndiſonus ſerpens vbi labitur amnis*
> FVLDA: *vnde iſte locus, vbi nunc ingentia cernis*
> *Moenia, prima olim nomen ab origine ſumſit.*

Nec caput XVI. totum de praerogatiuis huius abbatis ſuper archi-epiſcopos, multosque alios agens, legiſſe ap. eundem BROWERVM, quenquam poenitebit. Hic exſtructum fuit monaſterium. RVDOLPHVS monachus ac presbyter in *Vita* RABANI opp. T. I. p. 1. *Quo in loco permiſſu* CARLMANNI *regis Francorum ac auctoritate* ZACHARIAE *pontificis ſanctus* BONIFACIVS *a. DCCXLIV. monaſterium conſtituit.*

(g) ap. GE. CALVONERIVM l. c. p. 15. & IO. MABILLONIVM T. III. *ann. Ben.* ad a. 856. L. 35. §. III. p. 52.

(h) CALVONERIO & BROWERO in *ſchol.* ad h. l.

(i) Exſtat T. I. opp. p. 275. & T. VI. p. 202. quocum docta BROWERI *ſcholia* conferri merentur.

(k) ad §. II. n. b.

(l) SERARIVS L. I. c. X. p. 39. ſq. admodum prolixus hac in re eſt. Adde COINTIVM l. c. ad 785. CVII. T. VI. p. 289. *Et quia ciuitas illa* (Moguntina) *pertinebat ad* GALLIAM *eratque* GERMANIAE *primae cisrhenanae ſeu* GALLICANAE *metropolis, iure* GERMANO-FRANCVS *&* GALLO-FRANCVS *dici poteſt, aut abſolute* FRANCVS, *quoniam* MOGVNTIACVM CAROLO *Francorum regi tunc parebat.*

(m) l. c.

(n) *In ſchol. l. c.*

(o) MAGVNTIAE, ait, *illuſtri genere natus eſt, & in* FVLDENSI *monaſterio a puero inſtitutus, vt ipſe indicat in ſuo epitaphio. hiſt. eccl.* l. c. p. 575.

(p) *ann. eccleſ.* ad 856. T. X. n. 26.

(q) *Comm. vitae* RABANI praeuio §. 2.

(r) l. c. p. 289. Quos omnes *epitaphii* verba ita explicare obſeruauit COINTIVS l. c.

(s) Contra RICCOBALDVM FERRAR. PTOL. LVCENSEM aliosque GVIL. CAVO *hiſt. lit. ſcript. eccl.* p. 456. SERARIO L. IV. *arch.* VI. p. 625. notatos, ac refutatos a GE. COLVENERIO ad WIONEM *annot.* ad L. V. *ligni vitae* c. 71. inter teſtimonia de RABANO T. I. opp. p. 12. Ex quo ſua etiam deſumſit ANT. POSSEVINVS *appar.* S. T. X.

(t) ut BALAEVS adſeruit, ſi CENT. MAGD. ſec. IX. c. X. col. 311. credere licet & DEMSTERO *hiſt. ſcot.* p. 553. ap. OLEARIVM *ſcript. eccl. bibl.* P. II. p. 110.

(u) §. III. f.

§. V.

§. V.

His obſeruatis noſtratem ab aliis horum temporum RABANIS diſtinguere, haud difficile erit. Paucis tamen hanc quoque materiam expendiſſe iuuabit. Sic RABANVS cognomento SIGNIFER (a) celebratur in proelio a PIPINO contra CAROLVM habito, in quo etiam interiit. Pari ratione FLODOARDVS laudat RABANVM (b) PRESBYTERVM, qui capellam eccleſiae RHEMENSIS a CAROLO CALVO ſibi beneficii loco donatam, accipere conſtanter renuit. Nominat quoque alium RABANVM PARVVM NANVM aulicum, quem ab eodem CAROLO nonnulla eccleſiae REMENSIS bona obtinuiſſe memorat. Adhuc alius denique ab his eſt, qui a. c. DCCCLXIV. cum iam ante octennium noſter obiiſſet, *traditioni bonorum in Hobbeyn Fuldenſi* (c) ſubſcripſit. Sed haec cum non magni ſint momenti, licebit eorum nobis prolixiori diductione ſuperſedere. *Puer* igitur cum noſter adhuc eſſet, id ſibi vnice datum parentes crediderunt, vt filium optimae ſpei ac indolis ita dirigerent, quo deinceps cum fructu inſeruire publico poſſet. *Mater piiſſima ab infantia filium ſuum Deum timere docuit, literis imbuit, & non minus exemplo, quam verbo docilem animum ad omne opus bonum diligentiſſime erudiuit!* (d) Elucеſcebant multa in puero dona a Numine conceſſa, eaque ſatis miranda. *Natura* indicabat omnibus animi vires praeſtantes, *ingenium* viuaciſſimum, *vim iudicandi* acrem, *retinendi* tenacem. *Corpus* bene diſpoſitum, itaque adfectum erat, vt obedire conſilio rationique poſſet in exequendis negotiis ac labore tolerando. Accedebant in eo ſingularia inſuper *gratiae* diuinae dona, quibus, quicquid naturale erat, ſanctificabatur (e). Erit in ſequentibus hac de re

 ite-

iterum dicendi locus, hinc iam breuioribus heic licet eſſe.

(a) *ann. Franc. Fuld.* FREHERI ad 844. T. I. *Metenſes* ad 844. ap. du CHESNE T. 3.
(b) *hiſt. Rhem.* L. III. c. 40. ad a. 845 adde BARON. *ann. ad h. a.*
(c) *Tradit. Fuld.* L. II. ap. PIST. *ſcript.* VI. p. 564.
(d) Io. TRITHEMIVS in *vita* p. 10. 4.
(e) ib. col. b. *Erat autem* RABANVS *puer tam naturae donis, quam gratiae muneribus a Domino multipliciter praeuentus, quae magna cum tempore ſumpſerunt incrementa vigoris, donec poſtremo virum ad ſummum perfectionis apicem perduxerunt. Ingenio docilis, memoria viuacisſimus, mente ſimul & corpore ſub pulcherrima diſpoſitione, pudicus atque caſtisſimus. In cuius moribus relucebat integritas & ſingularis in animo tranquillitas rutilabat. Omnia tamen iſta in eo donatam gratiae, quam naturae clarius enicuerunt, cum ad virilem perueniſſet aetatem; in qua virtutum culmen, omnium perfectus operator, aſcendit. Quantum vero ad viſibilis pertinebat hominis rationem, corpore ſatis admodum fuit robuſtus, complexione mixto ſanguine phlegmaticus, plus corpore pinguis quam macilentus, capite fortis & magnus, omniumque membrorum proportione, forma decente, diſpoſitus.*

§. VI.

Haec intuens mater pueri ſalutis cupida, vt optimae ſpei filius literis imbueretur, operam, quam potuit, impendit omnem, verita, ne dona puero a Deo indita, ſupprimerentur, neve iis puer ad mala quaeuis perpetranda abuteretur. Quibus inducta, cum, cum *nouem* eſſet annorum, monaſterio mancipare decreuit. Erant autem monaſteria hoc tempore adhuc literarum officinae, queis pueri literis inſtitui, prout illa aetas ferebat, conſueuerant. Inuitus pater nihilominus tandem aſſenſum ſuum matris voluntati praebet. Fit *monachus ordinis S. Benedicti in monaſterio Fuldenſi recens* fundato. Traditum a parentibus *vir religionis magnae & multarum in Chriſto virtutum a)* BANGOLFVS abbas introduxit die martii XXI. qui BENEDICTO in faſtis ſacer erat. Hic iuxta

iuxta regulam ordinis ſtricte vixit, mundi voluptatibus, carne, vinoque abſtinuit. Conuictus ipſi erat panis cribrarius & ruſticus; fabas, piſa, olera edebat, bibebat aquam vel cereuiſiam. Seruiebant ipſimet ſibi inuicem in communi paupertate, mentisque & corporis caſtimoniae ſtudebant monachi. Neque haec curat noſter, tenaciter regulis aſſueſcit, quae mandantur, exequitur prompte, literis diligenter, vitaeque ſanctae operatur. Demortuo BANGOLFO abbate, aliquandiu, ſed vix vnius anni interuallo, RATHGARIO ſucceſſori non minori fide obediuit, donec tandem ſub hoc diaconus fieret a. c. 801. vt ſupra diximus. Ita ſe geſſit vbique, ut non poſſet non cuiuis cariſſimus eſſe, Deo qui deditus erat, ſuperioribus obſequens, humanus caeteris. Laboris patiens, ſcripturae meditationi in primis intentus, literas diſcendi cupidus, mandata exequendi paratus, quemuis opis indigum, quantum poterat, ſubleuare promtus erat. Omnium ſic ſpem de ſe conceptam ſuperaſſe, mirum non debet eſſe. Hinc prolixe haec omnia à THRITHEMIO laudata b) videbis, qui tamen monachum noſtratem a. DCCXCVII. indict. V. *Romanorum* factum eſſe, perperam contendit. Quod ipſum a nobis, ex ſuperius adductis rationibus, ad annum DCCLXXXV. referendum erat.

(a) v. *Trithemius* in *vita.*
(b) l. c. Inter alia p. 11. b. *Poſt ſuperatos pueritiae annos totum ſe diuinis mancipauit obſequiis, in eccleſia frequens, in choro pſallentium aſſiduus, & ſine vanitatis nota in ſeruitio Dei ſingularis. Nullus monachorum inter cantandum & legendum fuit alacrior, nullus ad obedientiam ſeniorum inter omnes promtiorem ſe vnquam exhibuit.*

§. VII.

Neque tamen eo tempore adeo florebant muſae in monaſterio *Fuldenſi,* ſicut poſtea ſub RABANO. (a) Hinc puer

puer ſublimioris doctrinae ſtudiis natus ac aptus ab abbate ſuo RATGARIO (b) mittitur cum aliis nonnullis CAESARODVNVM (c) ad ALCVINVM (d) (quem BEDAE (e) tamen diſcipulum fuiſſe, dubium multis videtur) cauſa vlterius in artium liberalium (f) diſciplinis proficiendi. Erat vero RHABANVS noſter iam tum DIACONVS, quod inſolitum haud erat. (g) Florebat prae omnibus iſto tempore TVRONENSIS ſchola, cum ei ALCVINVS praeeſſet e SCOTIA oriundus, vir diuinarum humanarumque literarum apprime peritus. Docebat eas ſuos diligenter, diſcipulisque ſuis multas GERMANIAE GALLIAEQVE ſcholas ornauit, vt quae per hoſtium incurſiones aliasque cauſas (h) complures, penitus deperditae erant, literas reſtauraſſe in GERMANIA merito cenſeatur. ALCVINI igitur cura, conſiliis (i) ac inſtitutione in GERMANIA fundantur a CAROLO ſcholae, monachique a priſtina ignauia ac inertia reuocantur, diſcipuli hinc inde eadem, qua praeceptor, methodo docere pergunt, principum liberalitate pariter & auctoritate ſuffulti. Hinc ALCVINI fama ac merita vndique propalata erant. Relicta enim BRITANNIA, cum in GALLIAM veniſſet a. c. 793. cum Caeſare ſynodo Francofurtanae interfuit, inque itinere conſtitutus Moguntinam vrbem, ac monaſterium FVLDENSE, (k) S. BONIFACII martyris ſepulcro nobile, inuiſit. Quod ei monaſterium ita perplacuit, vt monachus fieri in illo cuperet, niſi CAROLVS (l) id prohibuiſſet. Haec forſan cauſae ſunt, quas propter eo tum ex FVLDENSI monaſterio mittebantur complures. Certe RABANVS ALCVINI ſe diſcipulum lubens profitetur: (m)

Abbas namque ſuus FVLDENSIS rector ouilis
Illum huc direxit ad tua tecta pater.

Erat

Erat tum ALCVINVS abbas monaſterii S. MARTINI TVRONENSIS, hinc pergit:

Nempe ego cum fueram cuſtos, humilisque miniſter,
Iſtius eccleſiae, dogmata ſacra legens,
Hunc puerum docui diuini famine verbi,
Ethicae monitis & Sophiae ſtudiis.

Verba quidem, *ad tua tecta pater*, ROMAE ALBINVM RABANO a praeceptis fuiſſe, indicare videntur. Nec latet me, complures eſſe ſcriptores (n), qui ibi inſtitutum noſtratem, adſeruerunt. At ALCVINVM vnquam ROMAE fuiſſe, vnde probabitur? Nec etiam, quando id fieri potuiſſet, video, cum ſemper Imperatorem ſequeretur, donec abbas fieret. Phraſin ipſam vero *modeſtiae ac vrbanitatis* notam (o) Gallis praeſertim vſitatam, obſeruant alii, *vt quando de ſua ipſorum domo loquuntur, aut ſcribunt, eam alterius vocitare conſueuerint.* Exhibet etiam BROWERVS carminis inſcriptionem ad MARTINVM TVRONVM patronum (p). Pariſiis fuiſſe, aeque incertum (q). Nam verba

Et quia ſe meminit nutritum domate claro
Iſtius ecce loci, hinc tibi dona feret.

commodam non minus interpretationem patiuntur. ALBVINVM autem vix ſemel cum Imperatore PARISIIS ſubſtitiſſe, conſtat (r). Non minus temporis ratio iis aduerſatur, qui EBORACI in ANGLIA (s) ab ALBINO eruditum fuiſſe, crediderunt. Nec, FVLDAE eum docuiſſe, (t) probatur, quamuis negari non poſſit, ALBINVM ibi monachum fieri voluiſſe. Apud SVESSIONAS vel in monaſterio S. GALLI eum fuiſſe, falſo pariter a quibusdam adſeritur (u). CAESARODVNVM igitur locus eſt, quo ab ore ALBINI praeceptoris pendere RABANO licuit (w). Quamdiu autem cum ALCVINO RABANVS

BANVS fuerit, varie a ſcriptoribus determinari ſolet. TRITHEMIVS VI. (x) continuos cum annos audiuiſſe, perſuadet, BARONIVS XXX. iuxta (y) quorundam explicationem. Ratio temporis, quam ſuperius ingreſſi ſumus, abunde docet, vix biennio RABANVM apud ALBINVM literis operatum fuiſſe. DCCCI. namque DIACONVS factus, poſtea demum ad ALCVINVM migrauit, quamuis integrum interceſſiſſe annum, haud adſeruerim (z). Ante mortem vero ſcripſit ad *benedictum* S. BENEDICTI *puerum* MAVRVM (aa) FVLDAE iam docentem, ac pueros ipſius, h. e. *diſcipulos valere, fratresque* ſtudiorum ſocios *ſalutare* iubet. Ante annum vero DCCCIV. hoc factum eſſe oportet, cum hoc ALCVINVM vita defunctum eſſe, ſupra probatum ſit. Quorſum igitur rationem temporis extendant, qui BEDAE diſcipulum RABANVM, crediderunt, (bb) perſpicere prorſus non poſſum. Quamuis vero literarum quoque HEBRAICARVM & GRAECARVM notitiam ab ALCVINO impetraſſet noſter, vlterius tamen in iis pariter ac CHALDAICIS proficere ſtuduit, praeceptore THEOPHILO (cc) EPHESIO vſus. Et hac ratione talis factus eſt, qui Deo ac patriae maximam eruditione ſua vtilitatem adferre poterat.

(a) *Nam eo tempore ſtudium literarum generale, ſicut poſtea, nec dum in Fuldenſi monaſterio vigebat. Monachi etenim humili ſcripturarum intelligentia contenti, moribus graues, & ſubruſticana ſimplicitate imbuti altiora ſcientiae ſtudia non curabant.* TRITH. in *vita* L. I. p. 12. a.

(b) v. *carmen* RABANI XIII. ad RATGARIVM abbatem ſuum T. VI. opp. f. 206. b.

Iam mihi conceſſit bonitas tua diſcere libros,
Sed me paupertas ſuffocat ingenii. (Libros
enim ſibi a RATGARIO ablatos repetit)
Me, quia, quaecunque docuerunt ore Magiſtri,
Ne vaga mens perdat, cuncta dedi foliis.
Hinc quoque nunc conſtant gloſſae paruique libelli.

conferri

conferri cum his merentur, quae dedit BROWERVS in *ſcholiis* p. 236 b. ex *perantiquo MSS. indicis abbatum:* HRABANVM ET HATIONEM THVRONIS *direxit ad* ALBINVM *Magiſtrum gratia liberales diſcendi artes.* BRVNONEM *ad* EINHARDVM, *variarum artium doctorem peritiſſimum.* MODESTVM & CANDIDVM *cum aliis ad* CLEMENTEM SCOTVM *Grammaticae ſtudendi gratia.*

(c) Duobus tantum in locis ſcholas ALCVINVM ſuas tum habuiſſe, probat MABILLONIVS l. c. p. 361. vnam in *palatio regio*, CAROLVM, quocunque viam dirigebat, ſequutam. Perpetua igitur non erat. Mox enim Imperator CARISIACI apud THEODONIS villam, in villa HARISTALLIO, WORMATIAE, AITINICI, MOGVNTIAE, RATISPONAE. WVRZIBVRGI, FRANCOFVRTI, AQVISGRANI, mox alibi viuebat. His etiam in locis CAROLVM *regiasque virgines* erudiuit, GISSAM & RECTHRVDAM. quibus ex monaſterio TVRONENSI, cum PARISIIS degerent, miſit *com. in Ioh. euang.* v. COINTE ad 802. LXXXVI. p. 792. T. VI. qui ex optimis fontibus rem prolixius refert. Non minus docebat PROCERES eorumque FILIOS ſapientiam, quod ex ep. IX. ALCVINI idem COINTIVS p. 788. n. 77. probat. Tandem praemii loco accipiebat abbatiam TVRONENSEM a CAROLO, vitamque ibi quietam docendo in monaſterio S. MARTINI tranſigebat. Et huc veniſſe RABANVM SERARIVS l. c. bene obſeruat. Quinimo, in GALLIA RABANVM ex doctrina ALCVINI profeciſſe, nec ipſe TRITH. *chron. Hirſ.* ad a. 838. negare poteſt.

(d) Nemini officiat, ſi ALBANVS dicatur ab HIER. de la HIGVERA in *dypticho Toletano* p. 587. ed. Antw. 1640. ALBOINVS & ALBINVS in S. WIGBERTI *Vita* EGINHARDO, ALCVNINVS SERARIO L. 4. p. 636. & L. III. notat 29. *ann. Franc. Fuld.* REHER. p. 15. edit. STRVVII ad 794. *His temporibus* ALCVINVS, *cognomento* ALBINVS *ſanctitate & doctrina clarus habetur.* Aliter iterum dicitur a POETA SAXONICO *annal. de geſt. Car. M.* L. V. ap. du CHESNE T. I. *Vitae.* Vna eſt perſona, cuius nomen ita varie pronunciatum legis.

(e) Certe, ante ALBINI natiuitatem BEDAM iam fuiſſe mortuum, probare nititur MABILLONIVS T. II. *ann. Bened.* ad 758. L. 23. pag. 187. iuuenem minimum tum fuiſſe adhuc, COINTE arbitratur, *ann. eccl. Franc.* ad 802. XCIV. T. VI. p. 796. AEGBERTVM potius & ALBERTVM epiſc. Eborac. praeceptorem ALBINO vterque aſſignat. Mortuus vero BEDA eſt a. c. DCCXXXI. LEONE III. P. R. vid. CHRON. FLORIAC. ap. du CHESNE T. 3. p. 354. vel anno DCCXXXVI. iuxta LAMBERTVM SCHAFN. *de rebus Germ. geſtis* ad h. a.

(f) Maximopere miratus ſum, Cl. gymn. Hildb. profeſſorem IAC. BVRCKHARDVM tr. *de linguae Lat. in Germania per XVII. amplius ſecula, fatis*, c. III. P. II. p. 48. n. y. MABILLONIO heic ſententiam tribuiſſe, quam ne mente quidem vnquam cogitaſſe videri poterat: *DCCII. Fuldae literas docere iam coepiſſe Rabanum, Io. Mabillonius refert.* Cum tamen

 men

men hoc anno ad ALCVINVM doctrinae ergo migraſſe eum, expreſſe doceat. Quod ipſius pace hic paucis notaſſe ſufficiat. Plura v. not. z.

(g) LVPVM quoque SERVATVM, cum iam DIACONVS factus eſſet, a RABANO literas didiciſſe conſtat. v. NAT. ALEXANDER *H. E. Sec. IX. X.* P. I. p. 225. Hinc mandatum fuit a CAROLO M. *vt poſtea Fuldam ad RABANVM magiſtrum etiam clerici ex cathedralibus eccleſiis, nedum monachi ex aliis coenobiis, mitterentur.* v. MABILLONIVS ad a. 789. T. II. L. 25. §. 64. p. 279.

(h) SPANHEMIVS eas prolixe recenſet l. c. col. 1333. ſeq.

(i) Certe MABILLONIVS l. c. CAROLVM ex conſilio ALBINI ad omnes epiſcopos ac abbates ſcripſiſſe literas ſuas pro literarum incremento, defendit, quas etiam integras ibidem exhibet.

(k) COINTE ad 802. LXXIV. T. VI. p. 787.

(l) idem n. XCV p. 796. ſeq.

(m) in *interceſſione* l. c.

(n) Certe eo redit ſententia TRITHEMII in vita l. II. p. 12. dicentis: *ad hunc venerabilem virum, eo tempore in vrbe ROMA cuſtodem & miniſtrum eccleſiae LATERANENSIS ac ſcholis monachorum publicus praeſidentem &c.*

(o) v. SERARIVS l. c. Deceptus fuit TRITHEMIVS, putans, hoc carmen R. P. ſcriptum eſſe, quod tamen S. MARTINO directum erat. ALCVINVS *contra fumo ſordentia Turonum tecta auratis ROMANORVM arcibus* praepoſuit v. ep. XIII. ap. MABILLONIVM ad 802. T. II. p. 360.

(p) Inter *poem. de diuerſis* T. VI. opp. p. 202. b.

(q) SERARIVS l. c. p. 637. ſq. PARISIIS *fuiſſe, teſtantur ſcriptores de illa academia.* & verba *interceſſionis*, quae ſequuntur, PARISIIS ſcripta eſſe, putat. Ex PARISIIS forſan libros quoque de laude S. crucis R. P. tradere voluiſſe. Mox tamen DOMA CLARVM vel totam PARISIORVM vrbem, vel certe, in quo docebat, gymnaſium eſſe, probare nititur. Quae quomodo cohoereant, haud diiudicamus. Videntur tamen priora aliorum verba, ac a SERARIO tantum adducta eſſe.

(r) v. not. c. (s) SERAR. l. c.

(t) adferunt id BROWERVS *antiq. Fuld. L. I. c. x. p. 40. & TRITHEMIVS de viris illuſtr. ord. Ben. c. XXVI. L. 2. Aliquandiu in monaſterio FVLDENSI moratus plures ex monachis clariſſimos enutriuit diſcipulos, inter quos habuit praecipuos, HAYMONEM, poſtea epiſcopum Iſuardum monachum & HRABANVM MAVRVM tunc puerum, qui in virum magnum poſtea excreuit. Tandem prouiſione CAROLI abbas S. MARTINI TVRONENSIS effectus doctrina & ſanctitate clarus effulſit.*

(u) MABILLONIVS l. c. p. 360.

(w) Plurimas horum ſententias expendit etiam prolixe COINTIVS l. c.

(x) in vita L. II. 12. a. *annis VI. continuis apud ALBINVM magiſtrum*

RABA-

RABANVS ſtudioſiſſimus auditor atque diſcipulus ROMAE permanſit.

(y) Quantum enim ad me attinet, male ei hanc ſententiam tribui credo. Quid enim prohibet, quo minus ita ipſius verba explicentur: *Quod fulgens illud temporibus iſtis ſidus RABANVS MAVRVS ALBINI FLACCI auditor, TRICENARIVS ſcribere aggreſſus S. Crucis myſteria &c.* Vt ſenſus ſit, tricenarium RABANVM ſcripſiſſe tractatum *de laudibus S. Crucis.* Ita enim in *interceſſione.*

Aſt ubi VI. luſtra impleuit, iam ſcribere tentans.

Ad CHRISTI laudem hunc edidit arte libellum. T. I. opp. pag 275.

(z) Quem tamen annum determinat MABILLONIVS. l. c. p. 359. Quamuis circa haec tempora factum hoc eſſe conſtet.

(aa) Ep. LV. v. §. I. ſupra.

(bb) Fecerunt id IAC. MEYERVS *annal. Flandriae, SEB. MVNSTERVS coſmogr. L. III. In Moguntia, & CARPAR BRVSCHIVS in monaſt. Germ. chron. pag. 200.* Refutari tamen haud merentur.

(cc) Si fides TRITHEMIO habenda eſt *in vita: In Hebraicis & Chaldaicis praeceptore vſus eſt THEOPHILO Epheſio, a quo Pelasgi ſermonis intelligentiam apprehendit ſufficientem, quam reuerſus in patriam ſuis quoque diſcipulis absque inuidia communicauit.*

§. VIII.

Sunt complures, iique haud infimae ſortis viri, qui doctorem PARISIIS RABANVM egiſſe, defendunt. (a) Sed hic eum nunquam vel diſcendi, vel docendi gratia fuiſſe, iam obſeruatum (b) fuit. Melius igitur procedunt, (c) qui id prorſus negant. Diſcendi enim cauſa ad TVRONES profectus erat, ibique tum viuebat ALBINVS, quem ab hoc tempore vnquam PARISIOS viſitaſſe, nullibi inuenies. RABANVM quoque vix biennio extra patriae ſolum commoratum, ex antea dictis conſtat. Verba interceſſionis hic nihil euincunt. Ita vero ſe habent.

Quod mecum legeret metri ſcholaſticus artem,
Scripturam & ſacram rite pararet ouans.

Legere enim cum aliquo deſignat *inſtitutionem viua*

voce

a praeceptoribus (d) factam: FVLDAE potius docuit noſter iam ante a. c. 804. (e) & eo ſpectat *Epigramma.* ALBINI:

Dum lachrymas Domino BENEDICTI fundis in aula
Sis memor ALBINI, dulcis amice, tui.

Reuocatum ab abbate ſuo dicit IO. TRITHEMIVS, (f) quam tamen ob cauſam, tacet. Forſan eruditionis, quam ſibi comparabat, laudem inuidebat, vel ſuis vſibus eum deſtinauerat FVLDAE. (g) Hanc ob cauſam ab abbate docendi veniam impetrabat, ſociosque habebat SAMVELEM & nonnullos alios. DCCCX SCHOLAE coepit praeeſſe FVLDENSI. (h) Inſtituiſſe (i) eandem RABANVM, nonnullorum eſt opinio, quod tamen de *noua reſtauratione* potius intelligendum eſſe, arbitror. (k) Eam ingreſſus eſt docendi rationem, quam ab ALBINO didicerat. (l) *Grammaticae, Dialecticae, Rhetoricae, Arithmeticae, Geometriae, Aſtronomiae, Muſicaeae ac Poeſeos* cognitione (m) imbutos, demum idoneos iudicauit, quos *ſacris ſcripturae meditationibus adſuefaceret.* (n) Mores iuxta regulas formare ſtudebat. *Latinae, Graecae, Hebraicae ac Chaldaicae* linguae praecepta tradidit diligenter. (o) Hinc ex omni GERMANIA, GALLIA, immo diſſitis quoque regionibus ad eundem diſcendarum literarum ergo confluxerunt (p) multi, RABANIque nomen & FVLDENSIS ſcholae celebritas vbique florebant.

(a) eo pertinent ROB. GAGVINVS, IAC. MEYERVS, CASP. BRVSCHIVS ll. cc. *SERARIVS* c. *Felix*, ait, PARISIENSIS l. *academia tanto & diſcipulo & doctore.*

(b) §. praec. not. q. r.

(c) *Fuiſſe eum doctorem Pariſienſem EYSENGREINIVS, adſerit catal. teſt. verit. qua fide, hactenus non liquet, ait TRIBBECHOVIVS de doct. ſchol. c. VI p. 293.. ed. rec. & SPANHEMIVS* vol. 1406. *Profeſſorem fuiſſe RABANVM ſcholae vel academiae PARISIENSIS, aeque falſo traditum ac ALCVINVM eius ſcholae inſtitutorem & parentem.* Fundamentum erroris ſupra ex GAGVINO indicatum eſt §. III. n 4. p. 9.

(d) Demonſtrat id SERARIVS prolixe exemplo LVDGERI in vita L. I. c. XIII.

c. XIII. de quo idem dixerit ALBANVS, *diſcipulum ſcilicet ſuum LVDGERVM aliquandiu ſecum legiſſe* vel vt v. 7. clarius exprimitur, LVDGERVM apud Magiſtrum tres continuos annos & VI. menſes totum *cum eo V. & N. Teſtamentum perlegiſſe & nonnullos ſecularis literaturae libros.* Quam parum heic iterum ſibi conſtet, quilibet euidenter cognoſcit. Quamuis paulo poſt excuſare ſua verba nitatur: Poſſe videt aliquem diſcere a magno magiſtro, quae ſtatim imperitiores doceret, arbitratus. *rer. Mog.* L. IV. arch. VI. p. 693. ſeq.

(e) Subſcripſit *Traditioni Fuld.* a. 806. inter *Trad. Fuld.* L. I. p. 46. Hinc tum temporis iam clarum fuiſſe patet.

(f) *annis tantum VI. ROMAE apud magiſtrum cum ingenti doctrinae profectu expletis, beatus Dei famulus vna cum HAIMONE ET DIEDONE, paſtoris ſui edicto reuocatur ad FVLDENSE monaſterium. Vitae* L. I. p. 12. b.

(g) idem in *chron. Hirſ. Tenuerat RABANVS adhuc monachus ſcholam monachorum publicam in coenobio FVLDENSI, quam etiam abbas continuauit.* Et in *vita* p. 14. a. adſerit, fuiſſe tum in monaſterio XII. minimum ſeniores, *quorum conſiliis abbas quotidianis neceſſitatibus vtebatur, vt opus non eſſet vniuerſam fatigare congregationem.*

(h) *GVIL. CAVVS hiſt. lit. ſcript. eccl. ſub RABANVS.*

(i) *Ad hunc etiam annum, quo RABANVS aetatis ſuae XXV. abſoluit, referenda ſunt initia ſcholae FVLDENSIS, cui RATGARIVS abbas eundem RABANVM praefecit,* ait le COINTE T. VII. ad 810. CVIII. p. 158. videatur etiam LAVNOIVS tract. *de ſchol. celebr. c. VIII. p. 40. ſq. ed. FABRITII.*

(k) Nam ſcholam in monaſterio FVLDENSI iam fuiſſe, ex ſuperioribus patet. Ibi enim RABANVS, eo perductus, ita profecit in doctrina, vt DIACONVS fieri poſſet, antequam ad ALBINVM veniret.

(l) Audiamus TRITHEMIVM: *A quo ipſe hauſerat in Gallia, quod alios in Germania poſtmodum docebat. Et in chron. Hirſ. qua monachos non ſolum in ſacris ſcripturis, ſed etiam in ſecularibus literis omnifariam erudiuit. Nec ſolum FVLDENSIS monaſterii monachos, ſed etiam ex diuerſis locis alios ad ſe transmiſſos multos in omni genere doctrinae diſcipulos inſtituit.* adde eundem in *Vita.*

(m) haec etiam docendi methodus eſt, qua vtebatur ALCVINVS v. EGINHARDVS vita *Car. M. POETA SAXON. ann. L. V. de geſtis Car. M Imp. ap. du CHESNE hiſt. Franc. ſcript.* p. 176. 177. T. II. & *ann. Franc. Metenſ. ib. T. III. p. 298.*

(n) TRITHEMIVS in *vita* L. I. p. 14. b. Ita *docebat eos, vt ſtudi literarum iuſtitiae praeponeret diſciplinam & ſcientiae ſcripturarum anteferret pietatem. Qui tanto facilius iuſtitiam & virtutum obſeruantiam perſuadere potuit, quanto eas non modo verbis, ſed etiam operibus demonſtrauit. Singularem habebat docendi gratiam & perſuadendi maximam facilitatem. Quoties ratio poſtulauit, ſola*

potui-

potuit voce terrere improbos & non minus humilitate mulcere proſtratos.
Sic etiam lib. 3. de *inſtit. cler.* c. XVI. *ſq.* prolixe de omnibus his doctrinae generibus futurum eccleſiae doctorem inſtruxit.

(o) *ib. p. 14. a. Primus omnium ſub fide Chriſti Germanos & Graecam reſonare linguam docuit, & latinam. Si qui vero apud Germanos in regno Francorum ante ipſum docti fuerunt, non indigenae, ſed Graeci, Romani, Galli, Scoti, Britanni ſeu advenae aliunde venientes exſtiterunt. Adde EBERARD. FABRICII gloriam FVLDENS. p. 75. ap. OLEARII bibl. ſcript. eccl. p. 2. p. III.*

(p) prolixe haec iterum ediſſerit TRITHEMIVS l. c.

§. IX.

Mirum proinde nemini debet eſſe, ſi audiuerit, numerum eorum, qui ab ore RABANI cum fructu pependerunt, admodum magnum eſſe. Liceat vel praecipuos ipſius diſcipulos nominare, vt, quantae tum auctoritatis noſter fuerit, adpareat. Primas teneat WALAFRIDVS STRABO vel STRABVS ordinis S. BENEDICTI in monaſterio FVLDENSI monachus, dein abbas AVGIENSIS. (a) Nec minus celebris tum fuit SERVATVS LVPVS iam diaconus, (b) cum ad RABANVM doctrinae cauſa veniret. RVDOLFVS porro (c) monachus & presbyter, Fuld. OTFRIDVS monachus WEISSENBVRGENSIS (d), LVITBERTVS (e) abbas HIRSAVGIENSIS, GERVNGVS ſucceſſor (f) RVTHARTVS, qui in monaſterio HIRSAVGIENSI bonas literas docuit, ASCRIHAS & RVODBERTVS (h) monachi FVLDENSES, VVERENBERTVS & HELFERICVS S. GALLI, HARTMVNVS, PROBVS, CANDIDVS, MAGO, MODESTVS, FRECVLPHVS EPISCOPVS LEXOVIENSIS, HILDOLFVS, BERNARDVS ABBAS HIRSFELD. BERCHOLFVS, IOANNES, VINGBERTVS aliique (i) Hinc vbiuis RABANI nomen celebre erat, cum eius doctrinae ſuam complures deberent. Et haec forſan cauſa erat, quam propter

RAT-

RATGARIVS abbas vlterius eum animo aequo ferre non poſſet, quem ſuae gloriae multum ſua eruditionis fama detraxiſſe, cognouerat. Erat etiam in RATGARIO dominandi cupido eximia, *& ſuos ad laborem plus, quam ſeruilem cogebat.* (k) Orto hinc graui tumultu RABANVS libris exuebatur ſuis, quos fruſtra (l) repetiit ab abbate. Ipſam vero ſeditionis ac miſeriae indolem deſcribit RABANVS carm. XXX. *de tranſitu monachorum FVLDENSIVM*, (m) Ortus eſt hic tumultus DCCCXI. & auctoritate LVDOVICI PII IMPERATORIS per epiſcopos, quibus plena data ab eodem in cauſam inquirendi poteſtas erat, aegre componitur (n). Peregrinatum fuiſſe RABANVM, (o) quamdiu extra monaſterii circulos erat, nonnulli tradunt. Anno demum DCCCXIV. (p) per HAISTVLPHVM ARCHIEPISCOPVM MOGVNTINVM (q) factum eſſe presbyterum, probari poteſt. Nouae mox turbae oriuntur, fitque exul RABANVS. (r) Tandem depoſito auctoritate IMPERATORIS RATGARIO quietis impatienti ſuccedit EIGIL (s) abbas, quocum RABANVS reſtitutus priſtino ſuo nitori literas quoque FVLDAE reſtituendas curauit.

(a) Vir ſane doctus, quique a manu RABANO erat. Celebratur *gloſſa ordinaria in Scripturam S.* eius cura ex RABANI aliorumque commentationibus conflata. *Gloſſas RABANI Latino - Barbaricas de partibus humani corporis edidit*, prout ex ore praeceptoris conceperat. In compendium redegit RABANI *commentarium in Leuiticum* aliaque plura fecit, quae hic adducere ſuperfluum eſſet.

(b) Grato id animo praedicat, cum abbas FERRARIENSIS fieret, *ep. ad Rabanum* ap. du CHESNE T. 2 app. p. 752. *Vt, ſicut ſtudia mea plurimum eruditione adiuuiſtis, ſic officii difficultatem aſſiduis precibus*

tem-

temperetis. Dedicat ei quoque RABANVS *comm. in epp. Paulinas.*

(c) Scripſit vitam RABANI operibus praemiſſam. Cuius tamen praecipua pars, quasnam eccleſias, dedicauerit, quas reliquias intulerit, ſimiliaque recenſet. Nihilominus laudat eum, nec ſine cauſa (cum fontis ad inſtar ſit) OVDINVS comm. de *ſcriptoribus & ſcriptis eccleſ.* Sec. IX. T. II. ad a. 850. p. 198. *RODVLPHVS* Fuld. *coenobii presbyter & monachus, qui apud totius paene Germaniae partes doctor egregius & inſignis floruit, hiſtoriographus & poeta, atque omnium artium auctor nobiliſſimus habebatur VIII. Idus Marty, diem vltimum feliciter clauſit.*

(d) *Qui euangelia in Theotiſcam linguam* transtulit. v. DAV. HOFMANNI pec. diſſ. *de OTFRIDO monacho VVEISSENBVRGENSI 4. euangeliornm interprete celeberrimo* hab Helmſt. 1717.

(e) Primus abbas HIRS. de quo admodum prolixus eſt TRITHEMIVS chron. Hirſ. ab initio.

(f) ib. & ap. MABILLONIVM T. III. *ann. Ben.* L. 34. §. 69. p. 34.

(g) *TRITHEMIO chron. HIRS.* audit *Vir doctiſſimus & metro & proſa excellens celeberrimi inter ſeculi ſui ſcriptores nominis.*

(h) Iidem, qui *libros de laudibus S. Crucis SERGIO PAPAE nomine RABANI obtulere.*

(i) v. *BROVVERVS antiq. FVLD.* L. I. c. XIV. p. 56. ſq. *ſchol. ad poem. de diuerſis* p. 239. TRITHEMIVS in *vita* L. I. p. 13. b. NATALIS ALEXANDER ad h. t. aliique.

(k) Obſeruante NATALI ALEX. H. E. N. T. ſec. IX. X. P. II. p. 575 ſq. diſſ. XI. de RABANO MAVRO, eius ſcriptis & naeuis. (l)

(m) T. VI. opp. p. 213. b. 214. a. adde aliud *ad exulem presbyterum.* p. 208. a. b.

(n) Hiſtoriam prolixe recenſet MABILLONIVS *ann. Ben.* T. II. L. 27. §. 83. ad 811. p. 394.

(o) NATALIS ALEX. l. c. qui id ex verbis *comm. MSS. in librum IOSVAE* probat: *tunc veriſimile eſt,* ait, *ipſum peregrinationem, in loca ſancta ſuſcepiſſe, cuius ipſe meminit in MSS. commentariis libri Ioſuae c. XI. ap. MABILLONIVM laudatis in elogio hiſtorico RABANI.* Negauit id, & TRITHEMIVM refutare conatur MABILLONIVS ad 815. L. 28. §. 29. p. 416.

(p) Ita ANN. FRANC. FVLD. a LAMBECIO primum editi §. 376. ad annum LVDOVICI I. h. e. Chriſti DCCCXIV. HRABAN *ordinatur ad presbyterum X.* Cal. *Ian. ab HEISTOLPHO ARCHI-EPISC. MOGONTIACENSI.* Quod proinde fruſtra iterum TRITHEMIVS retulit ad annum

num. 817. in *vita.* add. MART. POLONVS ad 816. *Eo tempore floruit RABANVS monachus FVLDENSIS, poeta magnus, & in ſcientia Theologiae praeclarus.*

(q) praef. ad eundem ante *libb. de inſtit. cler. Tuo enim magiſterio libens me ſubdam, a quo recordor, me accepiſſe dignitatem eccleſiaſticam.* T. VI. opp. p. 2.

(r) v. MABILLONIVS l. c.

(s) Factum hoc eſt DCCCXVII. v. BROWERVS *ſchol. ad poema XIII. p. 236. ex indice abbatum MSS.*

§. X.

Haec fuit eius rerum varia adhuc conditio, vsque dum tandem vir melioribus fatis dignus fieret monaſterii FVLDENSIS *abbas*, anno DCCCXXII. EIGILI enim poſt quinquennium mortuo eum ſucceſſiſſe, omnes fere, vel ſaltim (a) potiores iſtorum temporum ſcriptores obſeruant. Adde TRADITIONES hoc anno monaſterio FVLDENSI factas. (b) Male hinc TRITHEMIVS (c) anno DCCCXXV. demum AEGISONI mortuo MAVRVM ſucceſſiſſe docet. Quis vero AEGISO ſit, quem indicat, nullibi comperire licuit. Forſitan EIGILEM, AEGILEM vel EGILEM quoque ſubinde dictum intelligit, qui anno XXII. tamen naturae iam debitum reddidit, quem AEGISONEM dictum vnquam fuiſſe, me latet. Pariter fundamento deſtituitur, quod XXXV. annorum tum RABANVM fuiſſe dicat. Sunt tamen (d) qui & DCCCXX. & ſic noſtro computo biennio prius abbatem factum eſſe credunt, merito erroris iam notati. Spartam, quam nactus erat, arduam ſatis ea fide, cura, laudeque ornauit, quae tanto viro digna erat. Retinuit nihilominus munus docendi in ſchola, ſubiectos ſibi mona-

chos in verbo Dei animae ſalutem quaerere iubet, quaque id fieri debeat, viam diligenter oſtendit. Res monaſterii curat ſedulo, cunctis neceſſaria prouidere ſtudet, auget ac diſponit, prouti neceſſe erat, bona monaſterii. Studiorum, praeſertim vero humaniorum, quas vocant, literarum maximam habet rationem. Sua igitur fide, ſua auctoritate, eruditione, induſtria, doctrina, pietate, vitaque omnis paene orbis in ſe oculos conuertit. Eius auctoritate magni honores diſpenſabantur etiam apud exteros. Monaſterii HIRSAVGIENSIS fundamenta, dirigente RABANO, ELAFRIDVS nobiliſſimus COMES in CALVE anno 838. iecit. Cui RABANVS LINTBERTVM ſeu LIVTBERTVM monachum FVLDENSEM praefecit, eumque cum colonia XV. monachorum HIRSAVGIAM miſit. Omnia eius merita in hanc ſcholam recenſet prolixe IO. TRITHEMIVS (f). Praefuit vero muneri ſuo annos XX. integros. (g)

(a) *ann. PITHOEANI Francorum* ad DCCCXXII. *Eigil abbas FVLDENSIS defunctus HRABANVM ſucceſſorem accepit. IO. AVENTINVS* ann. Boi. L. IV. p. 226. ſq. *Proximo anno LVDOVICVS FRANCOFORDIAE conuentus agit, aeſtiuatque. Ab eodem RABANVS FRANCO, eiusdem tempeſtatis poeta, Theologus nulli ſecundus FVLDENSI monaſterio praeficitur. MARIANVS SCOTVS* L. III. aet. VI. *chron.* ad a. c. 822. LVDOVICI VIII. *EIGIL FVLDENSIS abbas obiit, RABANVS ſibi ſucceſſit. HERM. CONTRACTVS ad h. a. ap. VRSTISIVM & CANISIVM: FVLDIS EIGIL abbas obiit. Cui RABANVS vir doctus & diuinorum librorum tractator egregius ſucceſſit.* Adde his EPITAPHIVM, quod EIGILI poſuit RABANVS T. VI. opp. n. 9. p. 229. a. b.

Huic quoque HRABANVS vilis ſucceſſor amando,
Conſcripſi hunc tumulum, CHRISTVS vtrosque iuuet.

(b) Quae anno IX. LVDOVICI PII factae L. I. *TRAD. FVLD.* ap. PIST. p. 527. ſcilicet ineunte. Initium regiminis LVDOVICI dat februarius anni DCCCXIV. adde aliam p. 532. *vbi vir venerabilis HRABANVS abbas eſt*, ſeptimo calendas ianuary factam. Et mox annus XXII. indict. XV. regni LVDOVICI IX. menſ. Octobr. & dies V.

V. cal. novembr. p. 533. coniunguntur. Patet hinc annum nonum incompletum deſignari & currentem. Hinc MABILLONIVS quoque inter VI. nonas auguſti & V. cal. nouembris RABANVM munus abbatis obiiſſe, concludit. T. 2. *ann. Bened.* L. 29. §. 26. p. 472. Nec remorabitur quenquam vox *videri*, plurimis traditionibus commune, eſt enim exhibitionis viſibilis ſignum ac p. 528. 541. per *cognoſcitur praeeſſe* & per *regitur* exponitur.

(c) L. II. vitae p. 15. b. cui adſentitur SIGEB. GEMBLAC. *chron.* ad 824. adde ALBERICI *monachi trium fontium chron. ad* h. a. ed. LEIBNITII Hanov. 1698. 4. p. 169. CASP. BRVSCHIVS *chron. mon. Germ. abb. V. EIGILONEM excepit anno Domini DCCCXXV.* Noſtrae etiam ſententiae haud parum refragantur, quae HENR. PHIL. GVDENIVS de BONIFACIO *Germanorum apoſtolo* diſp. ſub praeſidio IVSTI CHRISTOPH. BOEHMERI Helmſt. 1720. hab. §. IX. p. 105. adſeruit: *Poſtea anno DCCCXXIX. qui AEGILIS abbatis Fuldenſis ſecundus erat, baſilica S. BONIFACII Martyris in coenobio Fuldenſi ab HAISTOLPHO archi epiſcopo Moguntino dedicata eſt in honorem Domini ſaluatoris.* Geminus adſerto ineſt error. EIGILEM enim anno XXII. mortuum eſſe, OTGARIVMque pariter XXIX. anno iam fuiſſe archi epiſcopum Mog. ac Synodo interfuiſſe, ex ſcriptoribus fide dignis conſtat. Quo PLATINAE temeritas procedat, mirum omnino eſt. RABANVM namque adhuc monachum vocat, cum carminibus & proſa laudaſſe dicitur feſtum omnium ſanctorum a GREGORIO IV. P. R. LVDOVICI rogatu inſtitutum, quod tamen DCCCXLIV. demum factum eſt. v. ROLEWINCKII *faſc. temp.* ad 844. & PLATINA in GREG. IV. ALBERICVS ad 835. id refert, & pergit: *Quamuis enim hi duo ſermones absque differentia in paſſionario CAREVALLENSI inſcribantur ſub nomine RABANI, tamen non videtur eſſe vnus ſtylus amborum, & in quodam antiquo libro de BVLLENCVRIA ſcriptum inuenitur ſuper: Hodie dilectiſſimi ſermo Domini ALBINI doctoris.* Forſan eſt ALBINVS FRITISLARIENSIS, cuius alia occaſione BROWERVS mentionem fecit, *ſchol. ad poem. de diuerſis* p. 236. b.; ALBINVS certe RABANI praeceptor ſi intelligatur, quod videtur, quid abſurdius cogitari queat, neſcio. Obſtat praeter temporis rationem, quod & ſecundam orationem habuiſſe dicitur, quo ipſo RABANO inferiorem fuiſſe conſtat.

(d) In fine membranae GVTTERSBACI in territorio ERPACENSI MDCCV. ſub columna quadam cum effigie CHRISTI repertae exſtant verba: RABANVS MAVRVS *abbas FVLDENSIS dedicauit* DCCCXX. d. 5. May. Cuius νοθείαν in aprico poſuit B. G. STRVVIVS not. ad *chron. LAVRISH. ap. FREH.* T. I. p. 403. Cui addere licet ACTA ERVD. GERM. ad MDCCXIV. P. 27. p. 215. ſq. qui ex hoc fundamento deſtruxere αὐθεντίαν eius inſcriptionis, probaruntque inſuper, *Comites Erpacenſes* illuſtriſſimos

ſtriſſimos ex EGINHARDI familia ortos non eſſe, quod tamen adſertum a quibusdam fuiſſe, conſtat.

(e) V. TRITHEMII *chron. Hirſaug.* in LINTBERTO. *Viguit eo tempore in monaſterio FVLDENSI maxime religio monachorum ſub regimine RABANI MAVRI abbatis, quae ſe per totam Europam fama praeuolante diffuderat in ora omnium; Eratque laus & memoria FVLDENSIVM monachorum apud Imperatores, reges & principes in magno pretio, non ſolum propter ſanctitatem vitae, ſed etiam propter incomparabilem ſcientiam ſcripturarum, qua FVLDENSES monachi eo tempore prae caeteris multis dicebantur eruditi, vnde multi ex eis in diuerſis eccleſiis ad apicem pontificatus fuerunt adſumpti.* Fuiſſe tum FVLDAE vltra 270. monachos, idem auctor eſt, addatur in *Vita* L. I. p. 15. a.

(f) In *Vita* L. I. p. 14. b. tandem ſubiungit: *O doctorem cunctis venerandum ſeculis, o literarum principem omnibus viris doctis perpetua celebrandum feſtiuitate, qui vitam in carne vixit ſanctiſſimam & vniuerſis Eccleſiae filiis doctrinam effudit ſalutarem fidem Chriſti orthodoxam ſumma cum alacritate ſemper docuit, ſacram enodem ſcripturam apud Germanos primus reddidit, vitam apoſtolicam ducens pernicioſos haereticorum errores conſtantiſſima ratione confutauit.*

(g) Ita ſequimur merito computum centuriarum Magdeb. ad h. t. quorum fundamentum fuit HATTONIS ad LEONEM epiſtola. Nam 842. exulem factum eſſe RABANVM, mox probabimus. Incompletos alias XXI. numerabis. At conciliari illorum quoque ſententia cum noſtra poterit, qui cum TRITHEMIO & HIER. *de* HIGVERA l. ſupra cit. p. 588. XXIV. *ſolidos* annos abbatiae noſtratem praefuiſſe contendunt. Addunt enim quinquennium, quo extra ſpartam ſuam priuatus vel exul vixit. At BRVSCHIVS & WION, qui XXXII. annos imperii eundem tenuiſſe clauum, contendunt, prorſus omnem fidem fallunt. ll. cc.

§. XI.

Quantumuis vero RABANVS hac literarum cultura & incremento optime de bonis quibusuis meretur, erant nihiloſecius complures, quibus deliciae, otium, ignorantia felicius, quam literarum ſtudia, aſylum videbantur eſſe, ventri quippe magis, quam doctrinae, moribusque rite formandis intenti erant. Atque hos

hos, vt exul aliquando viueret noſter, ſimul cum aliis effeciſſe, (a) vero eſt ſimillimum. Magna equidem inter viros doctos adhuc occurrit diſputatio, vtrum vi expulſus a monachis fuerit, an ſponte, & quam ob rem, regimine ſe abdicauerit. *Expulſum eſſe, complures adſerunt.* (b) *Nec minus multi ſunt, quibus altera ſententia arriſit. Alii regiminis pertaeſum ſarcinam* (c) *adminiſtrationis depoſuiſſe, credunt, alii alias abdicationis rationes ſuppeditare conantur.* Sed ſi dicendum, quod res eſt, quantum mihi videtur, ſententiae coniungendae ſunt, non diuidendae, alias nunquam certi quid determinare licebit, quamcunque ſeorſim ſententiam elegeris. *Monachos Fuldenſes* cauſatos eſſe hanc, ſiue abdicationem, ſiue eiectionem, admodum videtur mihi probabile. Et eo videtur TRITHEMII relatio collineare. Magnae erant lites (d) LVDOVICI PII cum filiis, & hoc mortuo filiorum inter ſe inuicem. Monachos ab hac illaue parte ſtetiſſe, prout fata aduerſa aut propitia cuiuis erant, quis dubitaret? Haec intuens RABANVS eum ſe omnino gerere conatus eſt, qui ſuperiori parti ſemper placeret, nec tamen omnem alterius gratiam neglexiſſe cenſendus eſt. At LOTHARIVS pariter ac LVDOVICVS, prouti res illae ferebant, ſumma in Fuldenſe monaſterium occupatum vtebantur poteſtate. Quod ex traditionum vtriusque nomine ſignatorum teſtimoniis patet. LOTHARIO non minus, quam LVDOVICO ſua onachorum pars dedita erat. Videns igitur, quae inſtabant, RABANVS pericula, turbarum pertaeſus, vel etiam veritus, ne LVDOVICO iam ſuperiori poenam daret, quod LOTHARIO hactenus magis adhaeſiſſet, deſerere ſpartam ac cum OTGARIO ſalutem quaerere maluit, quam maiori ſe periculo

culo exponere. Fieri etiam potuit, vt monachi videntes, OTGARIVM abeſſe, LVDOVICVM RABANO infenſum, hinc, qui eum defenderet, ſupereſſe neminem, expellere eum decernerent, vt eo commodius in poſterum otio ſibi liceret torpeſcere. Prius tamen magis mihi videtur veritati conueniens. Nam LOTHARIO, quam LVDOVICO, magis fauebat. LVDOVICVS vero rerum Moguntiacarum ac Fuldenſium fiebat dominus, nec ita facile placari potuiſſet. A CAROLO quoque RABANONEM ab initio turbarum ad LODVHVVICVM fratrem, miſſum conſtat, cum mandato, vt ſibi adiutorio illis in partibus contra LOTHARIVM eſſet. Hinc vtrique parti addictus fuiſſe videtur, quamdiu fieri poterat. LOTHARIO autem cum magis amicus eſſet, reliquos venientes aegre admiſit. HATTO ſuccedebat abbas, licebatque RABANO, quem reuocare quidam rebus iterum pacatis, Otgarioque reſtituto (e) conabantur, prope Fuldam XII. a monaſterio verſus orientem ſtadiis in monte S. PETRI monaſterium in honorem S. IOHANNIS BAPTISTAE aedificare, ac in eo ſtudiorum ſuorum aemulos docere. (f) Nihilo tamen ſecius LVDOVICI ſemper gratiam quaeſiuiſſe videtur. In aula vero eiusdem fuiſſe, praeter TRITHEMIVM neminem noui, qui adſereret (g), nec etiam vero ſimile adhuc videtur.

(a) Accidit hoc DCCCXIII. v. TRAD. FVLD. Ibi p. 484. & 558. exſtat *Traditio RABBANO* abbati facta anno II. LOTHARII *regis orientalium Francorum*, IV. non. april. alia HATTONI ſeu BONOSO abbati anno III. LVDOVICI *regis orient. FRANC. VII.* Idus aprilis. v. L. II. p. 522. it. XV. cal. Octobr. aliaeque plures ibidem exhibentur. Hinc falſo ad DCCCXXXVIII. refertur a BROWERO *ſchol.* p. 234. b. & BARONIO.

(b) LAMB. SCHAFN. *de rebus Germ. geſtis* ad h. a. LVITHARIVS *expulſus eſt a regno & RABAN abbas de monaſterio. Chron. HILDENSH.* ap. du CHESNE T. III. p. 510. RABANVS *abbas FVLDENSIS coenobii expulſus*

expulſus de monaſterio & LOTHARIVS de regno LVDOVICI. IO. *AVENTINVS ann. Boi.* L. 4. p. 240. *Inter haec* diſſidia RABANVS *Fuldenſis antiſtes, vir ea tempeſtate vndecunque eruditiſſimus, vates, theologus inſignis, quod nimis literis deditus rem familiarem negligeret, a monachis monaſterio eliminatur. Ipſe ad LVDOVICVM Regem noſtrum ſe contulit.* Prolixius haec vna cum cauſa expulſionis enuntiat TRITHEMIVS *chron. Hirſ.* anno DCCCXLII. *de Fuld. monaſterio per fraudes quorundam incitatus exiit, atque ad LVDOVICVM filium LVDOVICI ſenioris Imp. confugiens atque vsque ad mortem OTGARII archi epiſcopi MOGVNTINI, qui eum expulerat, propter quam neſcio cauſam, quaſi exul remanſit.* Et *de ſcriptorum eccleſ. Tandem offenſus improbitate monachorum ſuorum, qui eum dicebant nimium ſcripturis intentum temporalia negligere, agente id in eis diabolo, diſplicentiam contra eum acceperunt, ſcandalizati in eo, quo maxime debuerant aedificari. Dat igitur locum irae, nec cum ingratis ouibus diutius manere conſentiens, monaſterium & eius habitatores deſeruit & ad LVDOVICVM Imperatorem filium CAROLI transmigrauit, cum quo & multis diebus permanſit. Monachi autem legationem ad eum mittentes, rogabant, vt rediret ad monaſterium, ſed non impetrarunt. Manſit ergo cum Imperatore vsque ad mortem OTGARII Moguntinenſis archiepiſcopi.* Et rurſus L. II. vitae. *Anno igitur natiuitatis eius LVII. vt MEGINFRIDVS, Fuldae poſtea monachus, eſt autor, facta eſt inter eum & monachos eius ſollicitante diabolo grauis quaedam & nociua diſſenſio, cuius tamen cauſam non expreſſit. Quam LVDOVICVS Germanorum Rex frater LOTHARII Imp. ac REGIS ITALIAE, filius LVDOVICI, cum audiuiſſet, miſſis ad FVLDAM nunciis, RABANVM ad ſe vocauit abbatem, & monachorum temeritatem regali auctoritate compeſcuit, venientemque cum honore ſuſcepit, & biennio ferme ſecum curia regali detinuit. Interea monachi Fuld. poenitentia ducti oratores miſerunt ad Regem, humili ſupplicatione rogantes, vt ablatum ſibi redonaret abbatem. Quod tamen facere propter cauſam rationabilem & abbas ipſe renuit, & rex admittere nullatenus conſenſit.* Sed ter hactenus auditus, totidem quoque vicibus mihi merito fit ſuſpectus TRITHEMIVS. Non attingo annum aetatis LVII. prorſus falſum & ipſius hypotheſibus plane aduerſum. At notari meretur, quod OTGARIVM expuliſſe RABANVM, obſeruet, inter quos tamen ſingularem ſemper amicitiam interceſſiſſe conſtat, vt etiam RABANVS OTGARIVM peculiari *carmine* laudet T. VI. opp. p. 206. quinimo in EPITAPHIO ib. p. 228. merita eius ad aſtra extollit. Hinc tale quid erga RABANVM perpetraſſe OTGARIVM, nullo modo credimus. Accedit, quod dein diducemus vlterius, ipſum OTGARIVM cum RABANO eidem periculo expoſitum fuiſſe.

Deinde quod ad LVDOVICVM CAROLI filium confugiſſe adſerit, nulla prorſus ratione factum eſſe poteſt. Nam LVDOVICVS PIVS, qui fuit CAROLI M. filius, quemque innuit TRITHEMIVS, iam 840. mortuus eſt. Nihilo tamen ſecius falli ſe hac in re paſſus eſt Cl. BVRCARDVS l. c. P. II. c. III. p. 52. *Et tamen Fuld. mon. relinquere coactus eſt. Minus enim vulgaris eius eruditio monachorum, quibus praeerat, aciem nimio repercutere videbatur ſplendore, ſic prorſus, vt hunc diutius perferre non poſſent, nimia qualis iſtis videbatur, doctoris ſui induſtria offenſi, ueque vero ſtupori iſtorum non ceſſit RABANVS ad LVDOVICVM PIVM Imperatorem abiens, cum quo tamdiu fuit, donec OTGARIO Moguntinenſi archiepiſcopo ſucceſſit.* Forſan huius tempore etiam cedere Fulda coactus fuit, de qua tamen fuga nemo quicquam memorauit ſcriptorum veterum. Hinc res incertior eſt, quam vt aliquid determinare audeamus.

Tertio: *biennio* ap. LVDOVICVM fuiſſe, adſeruit vsque ad mortem OTGARII, & iterum: *multis diebus.* Eſt autem exul factus 842. & epiſcopatum demum 847. obtinuit. Quam vere igitur haec dicta ſint, lector ex hactenus adductis ipſe iudicet, nec minus, quomodo contradictio euitari poſſit, quando mox ad LOTHARIVM, mox ad LVDOVICVM pium, mox ad LVDOVICVM iuniorem confugiſſe RABANVM adſerit. Ego certe, quomodo concilientur res contrariae eodem tempore tamen geſtae, hactenus nondum perſpicere valeo, nam ſi diuerſo tempore geſtae ſunt, cur coniungit? Mox a Rege LVDOVICO ad ſe accerſitum nec iterum dimiſſum eſſe contendit.

(c) Ita RVDOLPHVS in *vita* RAB. p. 8. b. *Cum igitur vir ille venerabilis monaſterium ſibi commiſſum per annos XX. nobiliter rexiſſet, depoſito curae paſtoralis pondere, ad eccleſiam, quam ad orientem monaſterii S. PETRI in monte conſtructam eſſe ſupra dixi, ſe contulit. & LVPVS FERRAR. ep. XL.* ap. du CHESNE in append. *Caeterum audiui, ſarcinam adminiſtrationis veſtrae vos depoſuiſſe, & rebus diuinis ſolummodo nunc eſſe intentos.* Conſpirant cum dictis *acta veterum Fuld. abbatum* in plerisque huc pertinentibus ap. BROWERVM L. IV. *antiqu. Fuld.* p. 277. *Poſtquam eccleſiam Fuldenſem per XX. annos egregie rexiſſet, relicta, quam habuit, poteſtate vltra RHENVM fluuium in regnum LOTHARII ſe contulit, poſtquam quidam de fratribus monaſterii, quomodo eum reuocare poſſent, mittuntur. Illo vero renuente poſt dies paucos ad monaſterium veniens cum concordia abbatis & fratrum eius ad orientalem plagam monaſterii montanus efficitur,* adde BARONIVM l. c. & BROWERI *ſcholia ad poem. de diuerſis* p. 234. b. NAT. ALEX. P. II. diſſ. XI. §. I. p. 576. *Poſt annos XX. regiminis praefecturam abdicauit, a. c. 842. & toto fere quinquennio priuatus in cella remota degit.* MABILLONII vero coniectura huc omnino

omnino pertinet, qua T. III. L. 32. §. 54. p. 632. putat, fauiſſe OTGARIUM ac RABANVM LOTHARIO denuo cum fratribus LVDOVICO ac CAROLO diſcordi, (magis ſcilicet, quam fratribus) illum etiam transrhenanis partibus excluſum ſequutum eſſe RABANVM, eoque ipſo LVDOVICI ac CAROLI iram effugere voluiſſe, quod LOTHARIVM intromiſiſſet. Certe haec fuit cauſa, quam propter OTGARIVS ſuum munus reliquerat. conf. NITHARTVM CAROLI M. *nepotem hiſt.* lib. 3. ad 842. ap. du CHESNE T. 2. p. 373. 374. *Interea audiens CAROLVS, quod OTGARIVS Moguntiae ſedis epiſcopus vna cum caeteris LVDOVICO fratri ſuo tranſitum ad ſe prohibuiſſet, iter per Fuldenſem vrbem accelerans ELIAZAM ac ZABARNAM introiit. Quod cum OTGARIVS didiciſſet, vna cum caeteris litore relicto abiit, & quo quisque potuit, ocius ſe abdidit.*

(d) De cauſis earum progreſſu, & fine conferre iuuabit IO. HENR. BOECLERI *comm. de rebus ſeculi IX. & X.* & Ill. BVRC. GOTTH. STRVVII *ſyntagma hiſt. germ. diſſ. VIII. praeſertim* §. X. ſqq. p. 216. ſq.

(e) Sctipſit eius rogatu *ep. de arcanis eius temporis*, quam publicari vetat LOTHARIVS. v. *praef. comm. in Ezechielem.* Dedicauit ei quoque *comm. in Ieremiam.*

(f) Eius reſtitutionem *Moguntiacenſes* a LVDOVICO rege ſupplices petunt ſummaque animi commotione peculiari *epiſtola*, quae ap. du CHESNE T. 2. p. 725. exſtat. Adde *Incerti ſcriptoris* elogium a PE. PITHOEO editioni *primae capitularium* CAROLI M. praemiſſum ap. OVDINVM l. c. T. II. p. 53. Et per hunc forſan RABANVS quoque Regi plene conciliatus iterum fuit & temporis ſucceſſu defenſus.

(g) v. praeter RVDOLPHVM, CASP. BRVSCHIVS & EYSENGREIN ll. cc.

(h) Binos *comm. in libb. Macc. & lib. de vniuerſo*, quibus beneuolentiam captare videtur LVDOVICI. Sed, quicquid demum horum ſit, certe, monachos *Fuldenſes* praecipuam abdicationis vel expulſionis cauſam dediſſe, ex dictis euidenter patet.

§. XII.

Tandem meliora expertus eſt fata RABANVS noſter. Nam a. c. DCCCXLVII. indict. x. conſtituitur *Moguntinus archiepiſcopus* (a). Ex aula (b) LVDOVICI Regis in locum demortui OTGARII ſurrogatum fuiſſe, falſo traditur. Potius in monaſterio eundem, diuina meditantem

ditantem a LVDOVICO II. illuc vocatum eſſe, epitaphium innuit.

Conuenere viri vertere fata loci.
Me abſtraxere domo inualidum, regique tulere
Poſcentes praeſulis fungi officio.

Inualidus (c) nondum erat, cum abbas fieret. Hoc autem tempore ſexagenario vires deficere incipiunt. Nouam hanc demandatam ſibi ſpartam ita adminiſtrauit, vt plene omnium proborum deſideriis ſatisfaceret. Vir enim erat doctrina & moribus conſpicuus, vtilitati eccleſiarum ſibi commiſſarum curaeque vnice intentus. Hinc in laude piis erat, inique interim proſpera viri fata improbis ferentibus, quibus tamen nullam ſui opprimendi dedit vel reliquit occaſionem. Primum ingenuae induſtriae ſuae ſpecimen edidit in ſynodo, quam hoc anno, calendis (d) octobris LVDOVICI regis iuſſu Moguntiae (e) habuit LEONE IV. P. R. in quo multa eccleſiae vtilia decreuit. Praeſertim de reſarciendis eccleſiae bonis ac priuilegiis laicorum iniuria direptis atque conculcatis, vt reſtituerentur, conſilium cepit ſaluberrimum. De communi clericorum collegio duae fiebant turmae, quarum prima erat epiſcoporum (f) cum notariis, qui ſcripturam Sacram legebant, canones & dicta patrum, caeteraque dogmata ſedulo ſcrutantes, ac deliberantes, quomodo pura eccleſiae doctrina ſeruari poſſet. Abbatum vero & monachorum altera erat claſſis, diſquirentium de regulis canonicis, praeſertim S. BENEDICTI & reſtitutione diſciplinae eccleſiaſticae iuxta earundem praeſcriptum. Porro diſquirunt de honore ſingulis exhibendo, locorumque Sanctorum veneratione hactenus neglecta. Dogmata

gmata vero ipſa capitulis XXXI. comprehenſa maximam partem circa mores formandos occupabantur. g) Ex quibus abunde facies illorum temporum admodum miſera patet. Doctrina corrupta erat, mores peruerſi, diſciplina collapſa. Rapinis, homicidiis, inceſtu, furtis & pluribus eius generis peccatis omnia contaminata erant. Hinc cautione opus erat patribus piis, ne prorſus vera virtus, doctrina, morumque emendatio ſalutaris obſoleſcerent. Magnum illis quoque negotium fecit mulier quaedam de Alemanniae (h) partibus nomine THIOTA pſeudoprophetiſſa. Quae tamen erroris tandem conuicta, *palo ac verberibus ſilere poſthac iuſſa, ludibrio de caetero fuit.* (i)

(a) ANN. FRANC. FVLD. ad h. a. OTGARIVS *Moguntiacenſis epiſcopus 847. anno, XI. cal. maii obiit, in cuius locum RABANVS ordinatus eſt V. cal. Iuny.* & *chron. HILDENSH.* ap. du CHESNIVM T. III. p. 510. ad h. a. OTGER *archiepiſcopus obiit, cui RABANVS abbas Euldenſis ſucceſſit. IO. AVENTINVS annal. Boi.* L. 4. ad h. a. p. 242. *Eodem anno OTTOGERIONE pontifice Moguntino mortuo, HRABANVS ille ab eruditionem a LVDOVICO rege archimyſtes primarius Germaniae nuncupatur VI. cal. Iul.* Quamuis igitur ALBERICVS *in chron.* & SIGEBERTVS *in chronogr.* referant ad annum ſequentem DCCCXLVIII. fruſtra id tamen fieri, quilibet ex adductis teſtimoniis videt. Sicut non minus abſurdum eſt, quod RAPH. VOLATERRANVS *anthrop.* c. 19. RICCOBALDVS & PTOTOMAEVS Lucenſis noſtratem fecerunt epiſcopum Meldenſem. Notauit eos GE. COLVENERIVS *annot. ad teſtim. de RABAN.* T. I. p. 12

(b) TRITHEMIVS *chron. Hirſ.* ad 842. Melius CASP. BRVSCHIVS l. c. *Mortuo interea archiepiſcopo Moguntino OTGARIO vocatur a monte S. PETRI ad ſedem Moguntinam.*

(c) Conqueritur de illo virium defectu *praef. comm. in Ierem.* circa haec tempora ſcripti: *Qui*, ait, *licet aliquid magni nunquam fuerim, tamen modo longe aliud me eſſe ſentio, quam fueram, qui graui aegritudine preſſus iam ſaepius in lectulo accumbo, quam ad ſcribendum vel ad legendum in meditatorio ſedeo.* T. IV. opp. p. 1.

(d) v. AVENTINI *ann. Boi.* L. 4. p. 242. ad h. a.

(e) SERAR. L. I. c. 33.

 Praeſen-

(f) Praeſentes erant SAMVEL, EGOTBALDVS, BATVRATVS, HERON, GORBARTHVS, HEMMON, WALTGARIVS, ANSGARIVS, OTGARIVS, BANTON, SALOMON & GEBEHARDVS cum reliquis collegis, chorepiſcopis, abbatibus, monachis, presbyteris & caeteris eccleſiaſticis ordinibus, qui ad iuſſum regis venerant *Moguntiam* v. *ep. ſynodicam* RABANI ad LVDOVICVM *regem, qua canones eidem confirmandos nomine patrum mittit* ap. BARON. *ann. eccleſ.* T. X. ad a. 847. XXVI.

(g) Acta eius plene exhibet PHIL. LABBEVS T. VIII. *concil. general.* col. 39. ſq. Capitulo I. indicuntur *preces* pro incolumitate regis LVDOVICI per dioeceſes, *agitur de catholica fide, omnium eam bonorum fundamentum eſſe, ipſique bonas actiones, ſine quibus mortua ſit, copulandas.* cap. II. tractant de epiſcoporum ſcientia, populique per homilias inſtructione, quas pro leuanda ſimpliciorum intelligentia in ruſticam Romanam vel Theodiſcam linguam verti mandant. Cap. III. de ſacramento baptiſmatis vniformiter vbique celebrando, de ſcrutinio ad ordinem baptiſmi, quomodo obſeruare debeant tempus ei deſtinatum, ſcilicet paſcha & pentecoſten, niſi caſus periculi aliter iubeat. *Debere illos noſſe, quid renuntiandum, nempe diabolum, opera & pompam eius, quidue credendum.* IV. de pace & concordia maxime inter epiſcopos & comites ſeruanda, *qui poſt imperialis apicis dignitatem populum Dei regunt*, quamque mutuis demonſtrant ſibi officiis. Reliqua mores illorum temporum emendare iubent. Quinimo vir adeo ſollicitus erat de cura commiſſi ſibi officii, *vt in regulis de miniſtris eccleſiae* L. I. c. 19. T. VI. opp. p. 113. C. ſe adhuc accuſet, cum tamen omnem operam impendiſſet, *& hoc eſt, totum* ait, *propter quod imperitiae meae ac futuri finis recordatus ingemui & volui ſarcina epiſcopatus mei depoſita elongare fugiens, & manere in ſolitudine & ibi exſpectare Deum, qui ſaluum me faceret a puſillanimitate mea & ab ipſa intolerabilium mihi ſollicitudinum tempeſtate.*

(h) SIGEB. GEMBL. ad 848. ita rem refert: *Mulier quaedam de Alemanniae partibus nomine THIOTA pſeudoprophetiſſa Moguntiacum veniens, quae SALOMONIS epiſcopi Conſtantienſis parochiam ſuis vaticiniis non minime turbauerat. Nam certum conſummationis ſeculi diem aliaque perplura Dei ſolius notitiae cognita, quaſi diuinitus ſibi reuelata ſcire ſe fatebatur, & eodem anno vltimum diem mundi imminere praedicabat. Vnde multi plebeii vtriusque ſexus timore perculſi ad eam venientes, munera illi ferebant, ſeque orationibus illius commendabant, & quod grauius eſt, ſacri ordinis viri doctrinas eccleſiaſticas poſtponentes illam quaſi magiſtram coelitus deſtinatam ſequebantur. Haec in praeſentiam epiſcoporum apud S. Albanum deducta & diligenter de ſuis adſertionibus requiſita, presbyterum quendam ſibi ea ſuggeſſiſſe & ſe talia quaeſtus cauſa narraſſe, profeſſa eſt, quapropter ſynodali iudicio publicis caeſa flagellis, miniſterium praedicationis, quod irrationabiliter arripuit & ſibi contra morem eccleſiaſticum vindicare praeſumpſit, cum dedecore amiſit, ſuisque vaticiniis tandem confuſa finem impoſuit.* Addit AVENTINVS l. c. *THEODAM* dictam eſſe, *eamque in Sueuia agro Conſtantinenſi de miniſteriis diuinis prophaniſſime philoſophatam, riſus coeleſtes ſimulaſſe, congreſſus ac collocutiones cum ſuperis ementitam eſſe teſtatur.* adde *ann. Franc. Metenſ.* ad 847. ap. du CHESNE T. III. p. 302. 303.

(i) AVENT. l. c.

§. XIII.

Eodem praeſide denuo ſynodus Moguntiae habetur cal. octobris DCCCXLVIII (a), cui complures epiſcopi interfuerunt (b). Praeter res ciuiles (c) de eccleſiae ſtatu maximopere, quomodo emendari queat, conſultabatur. LVDOVICVS (d) rex indixit ſynodum (e) ipſe. Examinantur, quae priori ſynodo expediri haud potuerant (f). Controuerſia tamen GOTHESCALCIANA *de gemina praedeſtinatione* omnem fere diſputationis partem abſoluit. Pertinere huc etiam *capita ei connexa*, ex ſequentibus patet. *Libellus* enim *errorum, quem RABANO tradidit*, articulos controuerſos omnes, vnico dempto, complectitur. At quod non omnes examinati ſunt, temporis obſtitiſſe videtur ratio. Merito hic etiam dolemus cum SERARIO l. c. acta huius ſynodi deperdita eſſe, ex quibus res omnis facilius certiusque, quam ex fragmentis hinc inde conſeruatis decidi poſſet. Quoniam vero maximum controuerſiae huic momentum ineſt, atque in ea refutanda omnem noſter operam impendit, a nobis praecipua eius capita, quae ad inſtitutum ſpectant, huc adferri, lectori, vt ſperamus, ingratum haud erit. Exhibebimus, quae ab aliis prolixe

lixe deducta ſunt de perſona ac fatis, doctrina, aduerſariis & patronis GOTHESCALCI ea, qua par eſt, breuitate. Adparebit inde, adhuc eandem hodie ſerram diſputationis inter IANSENISTAS ac DOMINICANOS, & ex altera parte, patres SOCIETATIS IESV, reciprocari. IANSENISTAE enim patroni AVGVSTINIANAE doctrinae ſunt, quae *fomenta praedeſtinatianiſmi* in ſe omnino continet, DOMINICANI *itidem praemotionem quandam Phyſicam & praedeterminationem*; cum vtriſque maximam partem CALVINIANOS etiam faecere conſtat. IESVITAE vero naturae vires nimium, quam par erat, extollentes, gratiae locum vix vllum ſerio concedunt. Et hinc, alios excuſare GOTHESCALCVM alios haereticum pronuntiare, prouti ſuae doctrinae propius accedit, mirum non eſt (h). Exemplum exhibet GILB. MAVGVINVS *conſiliarius quondam Regis Galliae & ſupremae monetarum curiae praeſes* in hac tractatione luculentum. (i)

(a) Non vero DCCCXLIX. vt ait *chron.* ALBERICI. Cui adde SIGEB. GEMBL. ad h. a.

(b) TRITHEMIVS *chron. Hirſ.* l. c. nomina eorum maximam partem, qui praeſentes erant, recenſet. Aderant HATTO ſeu HECTI *archiepiſcopus Treuirenſis, HILDEBOLDVS, archiep. Colon. ALTFRIDVS, epiſc. Hildesh. HAIMO epiſc. Halberſt. LVDERICVS epiſc. Bremenſ. LINTBERTVS primus abbas S. AVRELII Hirſaugienſis, VVALDO abbas Fuldenſis, EINHARDVS abbas SELGENTETENSIS, BRVNVVARTVS, abbas HIRSFELD. BERTHOLPHVS epiſc. Mediolan. ADVENTITIVS abbas Metenſis; RADVLPHVS abbas S. MEDARDI, poſtea Bituric. archiepiſcopus & alii multi epiſcopi, & abbates & monachi, inter quos complures erant vita & doctrina famoſiſſimi.*

(c) *In quo legatos fratrum ſuorum & Nordmannorum, Sclauorumque ſuſcepit, audiuit & abſoluit. Homines etiam HRABANI epiſcopi aduerſus Dominum ſuum conſpirantes publice conuictos cum eo pacificauit. Legatos ſuos ad fratrem ſuum LOTHARIVM in Theodonis villa placitum habentem pro GISALBERHTO, qui eodem anno ad fidem*

dem venerat, reconciliationis gratia direxit. v. *annales Franc.* PITHOEI & FREHERI ad h. l. Cauſam turbarum aduerſus RABANVM exponit RHEGINO *in chron.* Nam ferre nolebant, quod RABANVS eccleſiae miniſtros ad canonicas conſtitutiones reducere conabatur, hinc aſſciſcebant ſibi etiam ſecularium quorundam & nobilium fauorem & malum in eundem occulte adunabant. Adde TRITHEMIVM L. III. *vitae.*

(d) LOTHARIVM conuocaſſe hanc ſynodum, male adſerit TRITHEMIVS *chron. Hirſ.* l. c. cum LVDOVICVS Rex Germanorum tum eſſet. Nec LOTHARIVS adhuc regnum Germanorum quaerebat. adde *cent. Magdeb.* cent. 9 c. 9. de ſynodis: *iuſſu Lotharii Imperatoris, ſeu Ludouici regis* col. 232. v. SEVERINVS BINIVS *conc. gen.* T. VIII. LABBEI *not.* ad h. t. col. 53. Notauit huic errorem iam BARONIVS *ann.* T. X. & ex eo SERARIVS L. I. c. 33. p. 130. ſeq. Qui & alium addunt, quo XI. indictionem TRITHEMIVS nominat, quae tamen XIIma debebat eſſe, incipiens quippe a ſeptembri a. c. 848. adde BINIVM l. c. Tribuunt hanc regi quoque conuocationem LAMB. SCHAFN. HERM. CONTRACTVS, SIGEB. GEMBLAC. aliique.

(e) *Synodale concilium* vocat LAMBERTVS SCHAFN. *de rebus Germ. geſtis* apud PIST. T. I. p. 154. DCCCXLVIII. ad *Moguntiam* habito *ſynodali concilio GODESCALCVS haereticus damnatus eſt. SIGEB. GEMBL. chronogr.* p. 562. *Celebrata ſynodo Moguntiae iuſſu LVDOVICI regis multa eccleſiae vtilia decreuit. Annales Franc. Fuld. ad h. a. placitum generale* dicunt. v. etiam SERAR. L. I. *rerum Mogunt.* c. 33. p. 130. ſq.

(f) *Multis in ea quaeſtionibus reſponſum fuit, quae anno ſuperiore in priori ſynodo fuerant quidem propoſitae, ſed ob temporis anguſtias in aliud tempus dilatae.* v. *PHIL. LABBEVS* l. c. col. 53.

(g) Ita *annales Franc.* ll. cc. GOTESCALCVS *quoque quidam presbyter de praedeſtinatione Dei praue ſentiens, & tam bonos ad vitam, quam malos ad mortem perpetuam ineuitabiliter a Deo praedeſtinatos eſſe adfirmans &c.*

(h) Omnium ſcripta huc pertinentia haud recenſebimus, IAC. SIRMONDI, IAC. VSSERII, NATALIS ALEXANDRI, LVD. CELLOTII, MONTFAVCONII, IANSENII, FR. SPANHEMII, GILB. MAVGVINI, (vt ſcriptores ſyſtematum taceam) GERHARDI IO. VOSSII, HENR. NORISII aliorumque ſcripta huc facientia omnibus hodie nota ſunt. Quamuis diuerſus ſit ſcopus pariter, ac ſucceſſus, quo rem exequuntur, impar.

(i) Hunc praecipue iam notare animo conſtituimus praeſenti lucubratione, quoad inſtitutum id noſtrum requirit. Scripſit *vindicias praede-*

F

praedeſtinationis & gratiae libris duobus, quorum prior exhibet *hiſtoricam & chronicam de hiſtoria GOTHESCALCI diſſertationem* L. capitibus incluſam & *refutationem hiſtoriae de praedeſtinaniſmo IAC. SIRMONDI.* In quibus, *praedeſtinatianiſmum* fabulam eſſe in cerebro *Pelagianorum* natam, ac ab his orthodoxis per calumniam hoc nomen tribui, vt probet, omnem mouit lapidem. IANSENII aſſecla fidelis eſt, hinc AVGVSTINIANAE doctrinae acerrimus vindex. Quae vero huc ex vtraque parte pertinent ſcripta iſtorum temporum parte II. ipſe exhibet. Hypotheſes eius data occaſione breuibus examinaturi, quo homines ſectae abducat ſtudium, euidenter ſubinde oſtendemus.

§. XIV.

Priusquam igitur ad doctrinam ipſam GOTHESCALCI progrediamur, pauca quaedam de *ipſo ac fatis* eiusdem praemittemus, quae rei maximam lucem accendunt. *Germanum* fuiſſe, ſi alia deeſſent, vel ipſa nominis conſideratio ſufficiens ratio eſſet. *Schalck* enim *ſeruum* olim Germanis notauit, quod nequam hodie per abuſum deſignat. *Dei* igitur (a) *ſeruus* audit GOTHESCALCVS, filius BERNI *comitis cuiusdam Saxonis*. Puer in monaſterio Fuldenſi ſub EIGILE monachus factus fuit. In ſynodo namque *Moguntina* DCCCXXIX. habita in clauſtro S. ALBINI Martyris RABANVM abbatem maximopere exagitauit, e monaſterio dimitti cupiens, cui inuitus mancipatus eſſet. Teſtes ſuae oblationis non conterraneos ex gente ſua *Saxones* eſſe, ſed *Francos*, quod legibus *Saxonum* ac libertati omnino contrarium eſſet. (b) Soluere hinc votum ſtatuerat OTGARIVS archiepiſcopus, cuius GOTHESCALCVM coactum poenitere videbat. At reſtitit grauiter RABANVS voce ac ſcriptis, apud LVDOVICVM Imperatorem. Cum vero ſcripta deſint, quid deciſum hac in re fuerit, latet. E monaſterio tamen

Fuldenſi

Fuldenſi ad Orbacenſe Sueſſionenſis parochiae in Gallia Belgica venit, at qua occaſione, ignoro. Eo miſſum eſſe ad tollenda cum RABANO diſſidia, probabile eſt. Sed heic quoque grauiſſimam querendi (c) occaſionem dedit *abbati* ſuo & *monachis*, quibus cum verſabatur. Spinoſis ac perplexis quaeſtionibus maximam impendit operam, ſeductus a praeceptore *Ratramno* nouitatis ſtudioſiſſimo, ſed vbi factum hoc ſit, nondum reperi. Literarum haud expertem fuiſſe, (d) ſcripta teſtantur, e quibus aſſidua in ſcriptura ſacra, patrumque ſcriptis lectio abunde patet, qua tamen aucta eſt eo magis ſuperbia eius. Subdole tandem fit *presbyter*, contra leges eccleſiaſticas a chorepiſcopo eccleſiae *Remenſis* (e) RIGBOLDO ordinatus. Specie dein religionis e monaſterio fugiens, *Italia* aliisque regionibus peragratis, ad EBERARDVM denique comitem venit. A quo benigne hoſpitio exceptus dogmata ſua hinc inde propalare coepit. (f) NOTINGVS *epiſcopus Veronenſis* eo quoque veniens ſermones cum illo miſcet, ac inter colloquendum *geminam praedeſtinationem* cum impetu propugnantem audit. Rem igitur ad RABANVM defert, conſilium ab eo expetens. Qui doctrinae malignitate perſpecta, ac NOTINGO indicata, literis, ad EBERARDVM *Comitem* miſſis, vt hoſpitio (g), niſi reuocaturus ſit, excluderetur, rogauit. Quo deinceps facto GOTHESCALCVS *Dalmatiam, Pannoniam, Noreiam*, aliaque loca (h) tranſiens, tandem in *Germaniam* eſt reuerſus.

(a) v. GE. GREENIVS diſp. hiſt. *de haereſi veterum praedeſtinatianorum* hab. Witt. 1678. & GILB. MAVGVINVS *hiſt. & chron. diſſ.* c. I. p. 48. *vindic. praedeſt. & gratiae* T. I. Hinc mirum, repugnare alios huic adſerto, quamuis varie patriam aſſignare ſoleant. TRITHEMIVS in *vita Rabani* L. III. *BOTESCALCVS*, ait, *quoque presbyter quidam, natione Gallus ex Remorum dioeceſi aduenien̄s &c.* Ex Remo-

rum

rum dioeceſi eſſe adſerunt etiam *annales Franc. Bertin.* ap. du CHESNE T. III. ad 849. p. 203. Addantur AVENTINI *ann. Boi.* L. 4. p. 242. aliique a GRETENIO citati. GVIL. CAVVS *hiſt. lit. ſcript. eccl.* ſub GODESCALCVS, non multum a noſtra ſententia recedit: *Natione* inquit, *Francus ex Belgica ſecunda videtur natus.* At parum ſibi conſtant *Cent. Magd.* cap. V. de *haereſibus col.* 120. Belgam vocantes, qui tamen etiam c. X. de *epiſc. & doctoribus* col. 311. noſtrae accedunt ſententiae, eodem, quo nos, fundamento adducti, adduntque argumenti loco *ep.* HATTONIS ad OTGARIVM. FR. SPANHEMIVS l. c. col. 1380. *Hic ſi non natione, certe nomine Germanus, habitatione Gallus monaſterio egreſſus.* Videtur hinc oriri error; quod habitationis locum cum natali ſolo plerique confundant, cum tamen conſtet, ex Saxonia in Franconiam ad monaſterium Fuldenſe, & ex hoc demum loco ad Orbacenſe eum veniſſe.

(b) Maxime vrget, *non licere parentibus filios paruulos ad Dei ſeruitium tradere, nec conuenire homini libero ingenuum filium ſeruum facere.* Scribit hinc RABANVS tractatum *de oblatione puerorum ad* LVDOVICVM *regem*, editum a MABILLONIO ex *codice monaſterii Mellic. in Auſtria ann. Ben.* T. 2. app. LI. p. 726. Quo ex ſcriptura V. pariter ac N. T. probare conatur: 1) *Licere Chriſtianis ſuam ſobolem Deo conſecrare,* 2) *votum quod Deo vouetur, non ſine magno reatu omitti poſſe,* 3) *vitam monaſticam non humana, ſed diuina auctoritate inſtitutam eſſe.* Sed quantum eiusdem argumenta valeant, quilibet praeuidere poterit. Interim bonae menti error ignoſcitur, a qua omnis peruerſitas aliena fuit. v. RODOLPHVS in *vita*, MABILLONIVS T. 2. ad 829. §. 30. p. 523. *Centur. Magd.* cent. IX. cap. IX. de *ſynodis* col. 228. Dolet MABILLONIVS epiſtolam RABANI & HATTONIS pariter ad OTGARIVM ſcriptam ac *centuriatoribus* adlegatam hodie non amplius proſtare. Sed ſi, quod res innuere videtur, eiusdem cum tractatu tenoris ſit, iacturam docti adhuc aequo ferre animo poſſunt. *Cent. Magd.* cent. IX. c. VI. de *cerem.* col. 56. ita hac de aiunt: GODESCALCVS, *qui inuitus & coactus votum monaſticum fecerat, in ſynodo Moguntina abſolutus eſt.* HATTO in *ep.* ad OTGARIVM.

(c) *Homo* eis audit, *animo elatus, quietis impatiens, nouorum verborum cupidus, inſatiabili honoris ambitione incenſus, proteruus & tumultuoſus, vt inanis animi oſtentatione & falſa quadam nouitate ſui nominis famam adipiſceretur, adeptam latius opinionem propagaret, & propagatam ab obliuionis iniuria vindicaret.* v. HINCMARVS ep. ad NICOLAVM I. P. R. qua omnem controuerſiae hiſtoriam diligenter ac ſincere refert ap. SERAR. l. c. FLODOARDVM *hiſt. Rhem.* L. III. c. XIII. BARONIVM *ann. eccl.* ad h. a. T. X. & inter opera T. II.

(d) Carmen enim a GREENIO §. 2. adductum ad RATRAMNVM praeceptorem

ptorem non tam imperitiae, quam modeſtiae & erga praeceptorem ſubmiſſionis videtur documentum eſſe. adde, quae dicemus ad §. XIX. n. f.

(e) v. *ep.* HINCMARI cit.

(f) Ita geſtam rem prolixe recenſent *annales Francorum Bertiniani l. c.*

(g) Epiſtolas exhibet GILB. MAVGVINVS l. c. T. II. ab initio p. 3. 4.

(h) In itinere forſan magis in errorem ſeductus eſt. Non enim ignota tum haec doctrina erat. v. HINCMARVS T. I. opp. de *praedeſt.* c. v. p. 26. Et FR. SPANHEMIVS col. 1381. *Quanquam, ait, ante* GODESCALCVM MIGENTIVS *quidam in Hiſpania & EGILA epiſcopus ſub CAROLO M. praedeſtinationem aliam ad vitam, aliam ad mortem tradidiſſe referantur. Qua de re adi MABILLONIVM analect. P. I. p. 183.*

§. XV.

Ex itinere tandem redux cauſam ſuae doctrinae tumidus ille monachus coram LVDOVICO *Rege,* RABANO aliisque epiſcopis, qui aderant, non ſine ſumma ac deſperata temeritate propoſitam, omni niſu defendit. Tradidit hanc in rem RABANO libellum errorum, cuius nobis fragmenta HINCMARVS conſeruauit in ſuo, de *praedeſtinatione* tractatu poſteriori. At cum omnia hac ſynodo exponi non poſſent, de *gemina praedeſtinatione* tantum agere patres incipiunt. Haec intuens GOTHESCALCVS denuo confeſſionem a) hac de quaeſtione ſuam ſynodo tradit. Quam cum diligenter examinaſſent patres, praeſertim RABANVS & LVPVS SERVATVS, ac obiectiones GOTESCALCI & defenſionem rite ponderaſſent, tandem haereſeos accuſatum b) ac damnatum (c) HINCMARO *Rhemenſi* in cuſtodiam mittunt. Cui & reliqua momenta in libello exſtantia vlterius examinanda relinquuntur. Scribit inſimul RABANVS *epiſtolam ſynodicam* (d) & quid cum eo in ſynodo actum erat, recenſet.

 a)

(a) Cum breuior ſit, hic integram exhibemus, vbi iis alias obuiam. *Ego GOTHESCALCVS credo & confiteor, profiteor & teſtificor ex Deo patre per Deum filium & in Deo Spiritu Sanctu & adfirmo atque adprobo coram Deo atque ſanctis eius, quod gemina eſt praedeſtinatio ſiue electorum ad requiem, ſiue reproborum ad mortem; quia ſicut Deus incommutabilis ante mundi conſtitutionem omnes electos ſuos incommutabiliter per gratuitam gratiam ſuam praedeſtinauit ad vitam aeternam. Similiter omnes omnino reprobos, qui in die iudicii damnabuntur propter ipſorum mala merita, idem ipſe incommutabilis Deus per iuſtum iudicium ſuum incommutabiliter praedeſtinauit ad mortem merito ſempiternam.*

(b) *epiſt. ſynod. RABANI: Et tales ſint in hoc mundo quidam, qui propter praedeſtinationem Dei, quae eos cogat in mortem ire, non poſſint ab errore & peccato ſe corrigere, quaſi Deus feciſſet ab initio incorrigibiles eſſe & poenae obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in ſynodo apud Moguntiam habita ab eo audientes & incorrigibilem eum reperientes &c.*

(c) HINCMARVS *ep.* ad NICOLAVM I. P. R. *Qui ab omnibus epiſcopis Germaniae* (ſub LVDOVICI imperio) *damnatus fuit & cum literis ſynodi ad eccleſiam metropolitanam Rhemenſem miſſus, ea quidem lege, ne vlterius in regnum* LVDOVICI *redire praeſumeret ſibi.* v. *chronographos veteres* ad ann. 848. & 849. ad quem nonnulli etiam hanc ſynodum, quamuis male retuliſſe, ſupra obſeruauimus.

(d) ap. MAVGVINVM T. II. P. I. p. 5.

§. XVI.

Et ſic ab HINCMARO GOTHESCALCVS in cuſtodia tenebatur vsque ad a. c. DCCCXLIX. quo CAROLVS REX *Galliae* ſynodo in villa *Cariſiaca* conſcripta, (a) cui ipſe intererat, cum *epiſcopis* (b) compluribus conuenerat, vt denuo doctrina eius diligenter examinata damnaretur. Admonetur ſollicite, vt ab errore deſiſteret, at fruſtra; omnis enim ſpes emendationis ceſſabat, immo conuiciis amaris ac maledictis laceſſere praeſentes nullus dubitabat. Hinc ex ſynodi decreto coram rege officio *presbyteri* exuitur, publiceque flagellatus iuxta regulas ordinis ſui, adſertionum ſuarum libros igni tradere cogitur. (c) Mittitur dein in carceres monaſterii *Altiuillarenſis*, ne ſuo veneno alios quoque inficeret innocentes. Non multo poſt autem, anno ſcil. DCCCLIII. denuo *ibidem* in doctrinam eius inquiritur. HINCMARVS praeſes rationes ſuas contra omnes eius errores ad *quatuor* (d) *capitula* reducit, vt facilius refutare illum poſſet. Quod & iisdem feliciter praeſtitit. Subſcripſerunt eis *rex* ipſe, qui a *concilio Sueſſionenſi* huc venerat epiſcopique & abbates praeſentes ſinguli. Neque tamen adhuc lis componitur. At vlterius aſcendere inſtitutum nobis haud permittit.

(a) Rem omnem prolixe referunt *annal. Bertin.* ad h. a. quibus reliquos ſcriptores ad h. t. adde.

(b) HINCMARVS de *praedeſt.* c. II. T. I. opp. p. 21. ſequentes recenſet: *VVENILONEM Senenſium archiepiſc. TEVDERICVM Camerac. epiſc. FOLCOINVM Morinenſium epiſc. ROTHADVM Sueſſion. RAGENARIVM Ambranenſium, IMMONEM Nouiomagenſem, ERPOINVM Siluanectenſem, LVPVM Catalaunenſ. YRMINFRIDVM Beluacenſium, PARDVLVM Laudun. TEVTBOLDVM prouinciae Lugdun. & Lingonicae ciuitatis, GERNOBRIVM Turon. epiſcopum, RIGBOLDVM Rhem. chorepiſc. VVITAVM Camarac. epiſc. alioſque longe plures ibi citatos.*

(c) Decretum damnationis hoc eſt: *Frater GOTHESCALCH ſacroſanctum ſacerdotalis miniſterii officium, quod irregulariter vſurpaſti & in cunctis moribus ac prauis actibus atque peruerſis doctrinis eo hactenus abuti non pertimuiſti, iudicio Spiritus Sancti, cuius gratiae munus eſt ſacerdotale officium per virtutem ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, noueris, tibi eſſe, ſi quo modo ſuſcepiſti, ſublatum, & ne vlterius eo fungi praeſumas, penitus interdictum. Inſuper, quia eccleſiaſtica & ciuilia negotia contra propoſitum & nomen monachi conturbare, contemnens iura eccleſiaſtica, praeſumſiſti, duriſſimis verberibus te caſtigari & ſecundum eccleſiaſticas regulas ergaſtulo retrudi, authoritate epiſcopali decernimus. Et vt de caetero doctrinale tibi officium vſurpare non praeſumas, perpetuum ſilentium ori tuo virtute aeterni verbi imponimus.* Imo ipſe MAVGVINVS multa teſtimonia diſſ. cit. c. XIV.

XIV. p. 114. adduxit, ex quibus patet, quomodo *inuentus ſit haereticus; quod & abreptitius, cum quid rationabiliter reſponderet, non habuit, in contumelias ſingulorum proruperit, quod propter impudentiſſimam inſolentiam ſuam damnatus ſit &c.*

(d) Exhibemus illa ex MAVGVINO l. c. & hic ex T. III. SIRMONDI *concil. antiqu. Galliae* ad 848. Ita autem ſe habent:

I.

Quod vna tantum ſit praedeſtinatio Dei.

Deus omnipotens hominem ſine peccato rectum cum libero arbitrio condidit, & in paradiſo poſuit, quem in ſanctitate iuſtitiae permanere voluit. Homo libero arbitrio male vtens peccauit, & cecidit, & factus eſt maſſa perditionis totius humani generis. Deus autem bonus & iuſtus elegit ex eadem maſſa perditionis ſecundum praeſcientiam ſuam, quos per gratiam praedeſtinauit ad vitam, & vitam illis pradeſtinauit aeternam: Caeteros autem, quos iuſtitiae iudicio in maſſa perditionis reliquit, perituros praeſciuit, ſed non, vt perirent, praedeſtinauit. Poenam autem illis, quia iuſtus eſt, praedeſtinauit aeternam. Ac per hoc vnam Dei praedeſtinationem tantummodo dicimus, quae ad donum pertinet gratiae aut ad retributionem iuſtitiae.

II.

Quod liberum arbitrium per gratiam ſanetur.

Libertatem arbitrii in primo homine perdidimus, quam per Chriſtum Dominum noſtrum recepimus, & habemus liberum arbitrium ad bonum praeuentum & adiutum gratia & habemus liberum arbitrium deſertum a gratia. Liberum autem habemus arbitrium, quia gratis liberatum & gratia de corrupto ſanatum.

III.

Quod Deus omnes homines velit ſaluos fieri.

Deus omnipotens omnes homines ſine exceptione vult ſaluos fieri, licet non omnes ſaluentur. Quod autem quidam pereant, pereuntium eſt meritum.

IV.

IV.

Quod Chriſtus pro omnibus hominibus paſſus ſit.

Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſicut nullus homo eſt, fuit, vel erit, cuius natura in illo aſſumpta non fuerit, ita nullus eſt, fuit, vel erit homo, pro quo paſſus non fuerit, licet non omnes paſſionis eius myſterio redimantur. Quod vero omnes paſſionis eius myſterio non redimuntur, non reſpicit ad magnitudinem & pretii copioſitatem, ſed ad infidelium & non credentium ea fide, quae ad dilectionem operatur, reſpicit partem. Quia poculum humanae ſalutis, quod confectum eſt infirmitate noſtra & virtute diuina, habet quidem in ſe, vt omnibus proſit, ſed ſi non bibatur, non medetur. Adde *ann. Bertin.* ad 853. LABBEVM *concil. gener.* T. 8. col. 56. marg. HINCMARI opp. in pſ. a SIRMONDO praemiſſa, ſed ſine inſcriptionibus.

§. XVII.

Quamuis autem haec ita ſe habuerint, nihilo tamen minus complures erant, qui a partibus GOTHESCALCI ſtetere a). Praecipuus fere omnium eſt PRVDENTIVS *Tricasſinus epiſcopus* b). LVPVS SERVATVS *presbyter* c) initio *Moguntinenſis,* dein *abbas Ferrar.* hunc excepit. RATRAMNVS *ſequitur monachus Corbeienſis,* AMOLO e) *archiepiſcopus Lugd. Sanctus* f) REMIGIVS AMOLONIS *ſucceſſor,* FLORVS g) *magiſter & vniuerſa Lugdunenſis eccleſia.* Adde *concilium Valentinum III. & Lingenenſe* contra IV. HINCMARI capitula h), & alia forſan plura, quae tamen praeſentem, quam nobis propoſitam habemus, aetatem excedunt. Ex altera parte aduerſabantur eidem maximopere NOTINGVS, qui prodiderat GOTHESCALCVM, RABANVS i) qui claſſicum controuerſiae cecinit, EBERARDVS, qui *monachum miſerabilem* expulit, HINCMARVS k) *archiepiſcopus Remenſis,* LVDOVICVS *Germaniae* & CAROLVS *Galliae reges,* PARDVLVS *Laudunenſis epiſcopus,* AMOLO *archiepiſcopus Lugdun.* Quamuis ſaepius ad

ſu-

ſuas partes ſeducere eos moliretur GOTHESCALCVS. His adde IO. SCOTVM l) ERIGENAM, quem tamen *philoſophia, quam theologia clariorem reddidit.* At GOTHESCALCVS, quamuis carcere incluſus, quietis tamen impatiens erat, & hinc inde virus dogmatum ſuorum propagare per literas, vel legatos patronosque ſtudebat. Scripſit *binos libellos* m) ad AMOLONEM, nec non praeter eos *binas confesſiones ſuas, breuiorem & prolixiorem.* Quamuis vero in confesſionibus, aerumnae forſan pertaeſus, humilior quam caeteroquin adpareat, ſupplicet, aliorum quoque pro ſe preces exoret, calumnias alias frequentes omittat, errores tamen doloſe incruſtauit, & ſaepius benigne ab HINCMARO ac ſociis admonitus ab haereſi nihilo ſaecius ne latum quidem vnguem receſſit. Quae ipſius peruicacia, quam conſtantiam MAVGVINVS peſſime dixit, effecit, vt mortuus honeſta n) ſepultura indignus haberetur, quippe communione eccleſiaſtica excluſus. Mortuus eſt tandem DCCCLXVIII. cum XXI. annos carcerum clauſtris aſſeruatus fuiſſet.

(a) Quomodo autem dediti eidem fuerint §. XXI vlterius diducemus.

(b) Qui ipſe primum *capitulis ſynodi Cariſiacae* ſubſcripſerat, dein vero transfuga factus. Ita de eo HINCMARVS tractatu de *praedeſt.* c. XXI. p. 119. *Vnde miramur, cum in praefata ſynodo capitulis ſuperius memoratis ſubſcripſerit, & canonicas ſanctiones atque decreta Apoſtolicae ſedis pontificum ſufficienter cognita de ſynodali ſubſcriptione atque profesſione habeat, tam inconſulte & inconſuete ſine probabili conlatione contra regulas inſtituta &c.* Et cap. XXVI. p. 204. *Caeterum capitula a nobis ex S. patrum dictis excerpta, quae reprehendit Dominus PRVDENTIVS venerabilis epiſcopus, nobiscum conſtituit atque firmauit.* Scripſit *epiſtolam cum collectaneo ad Hincmarum & Pardulum, librum de praedeſtinatione contra IO. SCOTVM, & tractoriam ad VVENILONEM archiepiſc. Senonenſem & epiſcopos comprouinciales.*

(c) *in libello de III. quaeſtionibus, & ep. ad HINCMARVM & PARDVLVM, nec non ep. ad regem CAROLVM cum collectaneo de III. quaeſtionibus.*

d) *Li-*

(d) *Lib. duobus de praedeſtinatione ad Carolum regem.*

(e) Quem melius ad aduerſarios retuleris. *Scripſit ep. ad GOTHESCALCVM, & ep. ad HINCMARVM*, quibus aduerſatur GOTHESCALCO, non patrocinatur. Mirum hinc omnino viſum, & hunc nihilo ſecius a MAVGVINO huc relatum eſſe.

(f) Nomine *eccleſiae Lugdunenſis* edidit *tractatum de tribus epiſtolis, HINCMARI* ſc. PARDVLI, & RABANI, it. *abſolutionem quaeſtionis de tenenda ſcripturae veritate.* At neque hic ſincere fauet GOTHESCALCO, niſi in hoc, quod putet, RABANVM a ſcopo & ſtatu controuerſiae receſſiſſe, quod tamen haud probat. Defendere magis GOTHESCALCVM quaerit, quam eidem fauere, ſententiam explicat, non vero adprobat.

(g) *Serm. de diuina praedeſtinatione* ſcripſit, & *propoſitiones in Scoti libro excerptas* refellit, proſtat ap. MAVGVINVM T. II. P. II. cum notis du VALLII *doct. Sorbon. & Prof. Th. Reg. in acad. Pariſ.*

(h) Junctim omnia exhibet MAVGVINVS l. c.

(i) Ep. ad NOTINGVM, HEBERARDVM comitem, & geminae ad HINCMARVM fragmenta exſtant ap. MAVGVINVM edita l. c.

(k) Praeter *epiſtolas* ad NICOLAVM P. R. EGILONEM ſuum legatum, aliosque maximam partem a SIRMONDO Tomo II. opp. inſertas, edidit *geminum* de PRAEDESTINATIONE tractatum. Prior conſtitit III. libris anno 856. iuxta *ſynopſin chronol.* SIRMONDI, operibus eius praemiſſam, ſcriptus eſt contra GODESCALCVM & RATRAMNVM, quibus refutat canones IV. a concilii *Valentini* III. anno 855. habiti patribus, ſuis IV. capitulis oppoſitos, ſibique a CAROLO rege ad refellendum miſſos. Cuius hodie vix ſupereſt praefatio epiſtolica ad CAROLVM REGEM ſcripta, quam a FLODOARDO ſeruatam exhibet SIRMONDVS T. I. opp. *praefat.* Dein cum iterum *Lugdunenſes* in *concilio Tullenſi* 12. prouinciarum apud *ſaponarias* aduerſus eum inſurrexiſſent, prolixiorem ſuam diſſertationem hac de re ſcripſit. In hac capitibus XXXVIII. rem omnem ex hiſtoria quoad ſingula momenta exhibet, atque ſic dogmata adcurata cenſura notat. Integram edidit SIRMONDVS T. I. opp. p. 1. ſqq.

(l) Scripſerat *de diuina praedeſtinatione contra GOTHESCALCVM monachum capitula XIX.* quibus ad *Pelagianorum* caſtra propius accedere videbatur, minus caute de re tanta loquutus. Quamuis igitur excuſari aliquo modo queat, non tamen conſentire prorſus FR. SPANHEMIO poſſum, qui hanc calumniae notam a *Janſeniſtis*, propter doctrinam de euchariſtia contra ipſorum mentem ab eo propoſitam, inuri Scoto adſeruit. l. c. col. 1377.

(m) Quem conſulebat de hac materia. Eſſe autem hos libros ab vtraque confesſione diſtinctos multaque in illa haud contenta non male AMOLONEM GOTHESCALCO tribuiſſe, docte probat IO. MABILLONIVS *ann.*

Bened.

Bened. T. III. ad 852. lib. 34. § 44. p. 20. ſq. contra Cl. MAVGVINVM: *Vnum ait in quo allatis ſcripturae S. & S. patrum teſtimoniis ſuam de gemina praedeſtinatione tuebatur ſententiam. Alterum, in quo ea, quae ad epiſcopos vel contra epiſcopos, qui in concilio damnationis ſuae adfuerant, ſcripſerat vel protulerat, continebantur.* Quod etiam vel ex contentorum diuerſitate abunde patet.

(n) Paulo mitius mandatum HINCMARI expreſſum eſt, quam a MAVGVINO adducitur, in *ep. XXIX. ad monachos Altouillarenſis monaſterii* T. II. opp. p. 316. *Cum pſalmis & hymnis ad ſepulturam deportari, vel in communi fratrum ſepultura ſepeliri non debet. Priuatae autem ſepulturae humanitas, ſicut vobis dixi, ei non eſt deneganda.*

§. XIIX.

Hactenus quae de vita ac fatis GOTHESCALCI ad praeſens inſtitutum ſpectabant, ea qua potuimus, breuitate & induſtria perſequuti ſumus. Dogmata nunc etiam perluſtremus ex ipſiusmet aliorumque ſcriptis ea qua par eſt fide atque accuratione excerpta. *I. Geminam praedeſtinationem, eandemque abſolutam* adſeruit, *bonorum ad vitam aeternam, malorum vero ad interitum a): II. Gratiam b) particularem: Pluribus enim, quam a Deo electi ſunt, eandem tribuere per primam hypotheſin nequit. III. Omne homini arbitrium liberum adimit ex eodem fundamento. c) IV. Meritum d) Chriſti & media gratiae reliqua ad omnes ſe extendere, negare cogitur.* V. Accedit doctrina *de trina deitate*, quam propugnaſſe eundem pariter conſtat. e) Et haec ita comparata ſunt, vt omnino damnatione dignus haberi debeat. f)

(a) Vide propriam ipſius *confeſſionem* ſuperius §. XV. not. a. exhibitam, & in illa obſerua voces: *incommutabiliter, irretractabiliter, irreuocabiliter*, ac confer cum iis explicationem earum a GOTHESCALCO patribus datam ex *ep. ſynodica Rabani*, l. c. n. b. Adde *ep.* RABANI *ad Eberardum Comitem* de hac materia, cuius notitiam a NOTINGO diſtinctam acceperat, quippe qui aliquandiu cum eo hac de re colloquutus coram *Comite* fuerat. Verba ſe ita habent: *qui dogmatizat quod praedeſtinatio Dei omnem hominem ita conſtringat, vt, etiamſi quis velit ſaluus fieri & pro hac fide recta atque bonis operibus certet,*

vt

vt ad vitam aeternam per Dei gratiam veniat, fruſtra & incaſſum laboret, ſi non eſt praedeſtinatus ad vitam. Quaſi Deus praedeſtinatione ſua cogat homines interire, qui auctor eſt ſalutis noſtrae, non perditionis. Et iam hinc multos in deſperationem ſuimet haec ſecta perduxit, ita vt dicant, quid mihi neceſſum eſt pro ſalute mea & vita aeterna laborare, quia ſi bonum fecero & praedeſtinatus ad vitam non ſum, nihil prodeſt. Si autem ego malum egero, nihil mihi obeſt, quia praedeſtinatio Dei me facit ad vitam aeternam peruenire. AMOLO, quem ipſe MAVGVINVS inter patronos GOTHESCALCI collocauit, ita in *reſponſoria ep. ad GOTHESCALCVM* dogma ipſius expreſſit, num. IV. *Reprobos omnes ita eſſe diuinitus ad interitum praedeſtinatos, vt eorum nullus potuerit vel poſſit eſſe ſaluus.* Pergit n. v. & GOTHESCALCI mentem ita vlterius exponit: *Reprobis, quia praefinitam damnationem euadere non poſſunt, orandum ſaltem eſſe Deum, vt ſtatutam eis poenam mitiget.* Cui, quaeſo, vſui eſſet gratia vniuerſalis, meritum vniuerſale, vocatio vniuerſalis &c. niſi ad omnes etiam, qui tandem actu ſua culpa damnantur, ſeſe extenderet, omnique tempore illo, quod gratiae vocant theologi cum ſcriptura. It. Num VI. *Deum & ſanctos in perditione eorum, qui ad aeternam damnationem praedeſtinati ſunt, exultaturos & gauiſuros.* HINCMARVS ep. ad NICOL. I. P. R. (quem fallere voluiſſe, nemo temere credet,) ita quoque ſcribit: *Dicit ergo id, quod antiqui praedeſtinatiani etiam dicebant, quod, ſicuti Deus quosdam praedeſtinauit ad vitam aeternam, ſic etiam alios ad mortem aeternam praedeſtinauit.* Adde ep. ad EGILEM *archipiſc.* quem *Romae* pro ſe dicentem cauſam inſtruxit, ep. XXIV. & XXV. T. II. opp. p. 290. ſq. 293. ſq.

(b) Sequitur hoc ex praecedenti hypotheſi: ita tamen in *libello errorum* RABANO tradito de hac ait GOTHESCALCVS, ap. HINCMARVM tractatu de *praedeſt.* cap. 24. T. I. opp. p. 149. *Omnes, quos vult Deus ſaluos fieri, ſine dubitatione ſaluantur, nec poſſunt ſaluari, niſi quos Deus vult ſaluos fieri. Nec eſt quisquam, quem Deus ſaluari velit, & non ſaluetur, quia Deus noſter omnia, quae voluit, fecit, ipſi omnes itaque ſalui fiunt, quos omnes vult ſaluos fieri.* Et *HINCMARVS ep. cit. ad Nicolaum P. R. Quod Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed duntaxat eos, qui ſaluantur. Nam ſi hi omnes non ſaluantur, quos Deus vult ſaluari, non omne facit, quod voluit, quod ſi velit id, quod non poteſt facere, non eſt omnipotens, ſed infirmus & impotens, attamen omnipotens eſt, quia facit omne, quod voluit, teſtante ſcriptura: omnia quae voluit dominus, fecit in coelo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis, it. cuncta domine Rex omnipotens in ditione tua ſunt poſita & non eſt, quod tuae poſſit reſiſtere vo-*

lunta-

luntati, ſi decreveris ſaluare nos, illico liberabimur. Et *ep. ad Egilem* ſaepius eadem repetit.

(c) De hoc in *libello errorum* ap. *Hincm.* l. c. cap. XXI. T. I. p. 118. *De quo videl. libero arbitrio quid eccleſiae Chriſti tenendum ſit, atque credendum, cum a caeteris catholicis patribus, tum praecipue contra Pelagianos & Coeleſtianos a B. Auguſtino plenius & uberius diverſis in opuſculis & maxime in hypomneſticon eſſe cognoſcitur inculcatum. Vnde te potius eiusdem catholiciſſimi doctoris fructuoſisſimis adſertionibus incomparabiliter inde quoque malueram niti, quam erroneis opinionibus MASSILIENSIS GENNADII, qui plerisque praeſumſit in locis tam fidei catholicae, quam beatorum etiam patrum invictiſſimis auctoritatibus, infelicis CASSIANI pernitioſum nimis dogma ſequens reniti.*

(d) l. c. cap. XXVII. p. 211. Ita ait GOTHESCALCVS. *Illos omnes impios & peccatores, quos proprio fuſo ſanguine Filius Dei redimere venit, hos omnipotentis Dei bonitas ad vitam praedeſtinatos irretractabiliter ſaluari tantummodo velit.* Et paucis interiectis: *Illos omnes impios & peccatores, pro quibus idem Filius Dei nec corpus asſumſit, nec orationem, ne dico, ſanguinem fudit, neque pro eis illo modo crucifixus fuit, quippe quos peſſimos futuros esſe praeſcivit, quosque iuſtiſſime in aeterna praecipitando tormenta praefiniuit ipſos nomine perpetim ſaluari penitus nolit.* *HINCMARVS ep.* ad *Papam*: *Quod Jeſus Chriſtus Dominus noſter & ſaluator non fuit crucifixus, neque mortuus eſt pro redemtione omnium iſtius mundi, i. e. pro redemptione & ſalute omnium hominum, ſed tantum pro his, qui ſaluantur, dicit, licet non omnino pari traditione, ſimili tamen errore id, quod veteres praedeſtinatiani dicebant, quando haec verba S. Petri Apoſtoli exponit: negantes Deum, qui eos redemit, redemit eos inquit, ſacramento baptiſmi, nihilominus non paſſus eſt mortem crucis, nec ſanguinem effudit pro eis. Verum aperte diuinus Paulus dicit, quod perceptio baptiſmi vocatur redemptio: nolite contriſtare, inquit, Spiritum S. in quo ſignati eſtis in diem redemtionis. Et ſicut haec electio quaedam propria & ſpecialis eſt omnium electorum & quam crucifixus pius & miſericors redemptor tantummodo impertiit, quos redemit & eripuit, & a praeteritis lauit, ſic certe redemit, liberauit, & a delictis praeſentibus abluit eos, qui nati ſunt & qui naſcituri ſunt, viuos & mortuos, nimirum omnes electos, & hi recte ſunt mundus, pro quo Dominus paſſus eſt, non ſecus, quam alibi dicit, panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Inſuper idem *GOTHESCALCVS ep. ad complicem ſuum* ap. HINCM. T. I. c. 29. tractatu de *praedeſt.* p. 226. adfirmat *abſit velim, non ſolum dicam cogitare, verum etiam ſemel musſitare, quod ſerpens antiquus ad ſe rapere poſſit vnum eorum, pro cuius redemptione Deo patri ſuo Dominus ſanguinem ſuum pretioſum effudit, amen.* Et alloquens Deum, dicit, *quare manifeſtum eſt, nullum eorum perire, qui ſanguine tuae crucis redemptus eſt. Et cap. 27. p. 211. Chriſtum non pro omnium hominum ſalute & redemptione eſſe crucifixum, ſed pro his tantum, qui ſaluantur, & neminem perire poſſe, qui Chriſti redemptus ſit ſanguine.* Et cap. 29. p. 226. *Quod Deus redemptor noſter omnipotens omnium creaturarum conditor & factor, electorum tantummodo cunctorum gratuitus eſſe reparator dignatus & refector, nullius autem reproborum perpetualiter eſſe voluit ſaluator, nullius coronator.* Et AMOLO *ep. ad GOTHESCALCVM*: *Neminem perire poſſe Chriſti ſanguine redemptum.* De baptiſmo ita ait AMOLO l. c. *Baptiſmum & alia ſacramenta fruſtratorie iis dari, qui poſt eorum perceptionem pereunt.*

(e) Exſtat GOTHESCALCI *Schedula* a. 862. ex carcere ſcripta, qua trinam deitatem dici poſſe, adſerit, T. I. opp. HINCM. praemiſſa HINCMARI tractatui *de non trina deitate* p. 415. ſq. Quid vero velit ſibi GOTHESCALCVS, haud perſpicio. Defendit phraſin *hymni veteris.*

Te trina deitas, vnaque poſcimus,

Quam HINCMARVS tanquam minus conuenientem emendarat inuito RATRAMNO, qui eum refutare conabatur *libello ad* HILDEGARIVM *epiſc. Meltenſem.* Res ad GOTHESCALCVM defertur, qui iam citata ſchedula ex odio erga HINCMARVM, phraſin defendere omni niſu contendit. Adde GOTHESCALCI *confeſſionem maiorem*: *Precor*, ibi ait, *vt quantumcunque mihi datur, diuinitus humilitate coram trinae vnitatis & vnius trinitatis praeſentiſſima maieſtate &c.* Refutauit eum hac ex parte HINCMARVS prolixa commentatione *de non trina deitate*, quae proſtat T. I. opp. p. 412. ſqq. Nihilo tamen ſecius aut λογομαχίαν quandam tribues GOTHESCALCO, aut minimum, cum ſuis pugnaſſe eum laruis, cognoſces.

(f) Addunt adhuc nouum dogma *Cent. Magdeb.* cent. IX. c. V. col. 120. docuiſſe eum, *Deum patrem plus eſſe, quam Deum filium, vt Chronicon Iſenacenſe refert: Arianam igitur doctrinam videri reſuſcitasſe.* At reliqui iſtorum temporum ſcriptores cum id alto premant ſilentio, cur illi examinando inhaereamus, nulla adparet ratio.

§. XIX.

Difficile haud foret, per ſingulos locos theologiae huius dogmatis conſectaria indicare. At inſtitutum hic acquieſcere nos iubet, & ſuae cuiusuis meditationi, quae adhuc dici poſſent, relinquere. Vnicum

cum reſtat expediendum, quod polliciti ſupra ſumus. Diſcutiemus praecipuas MAVGVINI rationes, quas hactenus dictis opponit. Parum vero de eis ſolliciti ſumus, quae contra vitam GOTHESCALCI a nobis e genuinis fontibus ſuperius recenſitam monet, cum adeo leuis ſint momenti, vt vel theſeωs, quam ſibi defendendam ſumpſit, infirmitatem aperte prodant, & ex hactenus allatis abunde refutari poſſint. Ea vero momenta attingere viſum eſt, quae remorari lectorem magis poterant, eorumque ſpeciem, quae fallit, in aprico ponere.

Sic negat MAVGVINVS, *concilii* vel *ſynodi* nomine merito adpellari *Moguntinam* illam ſub RABANO habitam. Cui tamen dubio ſuperius a nobis ſatisfactum fuit a). Pergit vlterius, actorem ſimul & iudicem egisſe RABANVM, adfirmans, quod tamen vtrumque fallit. Non tam RABANVS accuſauit eum, quam NOTINGVS, qui literis hac de re ad RABANVM ſcriptis errorem GOTHESCALCI primus notauit. RABANVS conſcientiae ſuae & GOTHESCALCI conſulturus rem ad ſynodum defert. Data hinc GOTHESCALCO libellum ſuae doctrinae, & confesſionem patribus exhibendi poteſtas erat, ſeque ab imputatis erroribus, quoad per rei veritatem liceret, defendendi. Cauſa tandem ſatis cognita, ab epiſcopis damnatur haereſeωs, & cum literis ſynodi nomine ſcriptis, ad HINCMARVM mittitur, vt, quae adhuc expendenda reſtarent, perſequeretur vlterius, eumque ad euitandam doctrinae propagationem cuſtodiret. Ipſe LVDOVICVS Rex ſententiam in eum fert, *ne rurſus in regnum ſuum reuerteretur*, eoque iudicis partes aduerſus GOTHESCALCVM gerit. Vlterius cauſae malitiam coniicere licet ex diſſenſu epiſcoporum illius temporis, quos ad ſententiae ſuae patrocinium flectere adlaborabat. Damnatum in ſynodo GOTHESCALCVM fuiſſe, pertinaciter MAVGVINVS negare pergit, at ſucceſſu adeo infelici, vt in ſingulis ſectae ſtudium facili negotio adpareat. Nonne expreſſe dicitur in *epiſtola ſynodica*: *Decreuimus* (patres ſynodi) *eum cum pernitioſa ſua doctrina damnatum mittere ad vos.* Nec opus eſt heic repetere, quae de ſubſequuta depoſitione, flagellatione, librorum combuſtione, miſera morte & denegata honeſta ſepultura ſuperius prolixe diximus. Nec obſtat, quod dicitur, *a plurimis tantum rationabiliter damnatum* dici noſtrum. Nam cur primo omittit MAVGVINVS, quae a SIGEBERTO adduntur, verba: *Sed tamen in ſuo perſeuerat errore.* Hinc erraſſe, & propterea iuſte damnatum cenſet. Interim ſenſus longe alius eſt, quem nexus verborum ſuppeditat, quam ille, quem MAVGVINVS fingit. In ſynodis patres in doctrinas ac mores diligenter inquirunt, quid verum in iis, aut falſum ſit, faciendum aut omittendum, iuxta normam fidei ac morum examinant, libere interim ſententias & rationes ſuas conferunt, quasque caeteris praeſtare vident, amplectuntur, nihilominus diſſentire aliis licet. Hoc quoque loco id factum eſſe, quis negauerit? Complures ad ſuas partes trahebat GOTHESCALCVS loquacitate, audacia ſua, & doctrinae Auguſtinianae f) gloria, qui, quid verum ſit, aut falſum, ipſi ignorabant. Conſilia multorum petiit, antequam ſynodo intereſſet, & quorundam quoque animos ſuae adiunxit ſocietati. Adde odium erga RABANVM pariter ac HINCMARVM, quod heic ſe exeruit. Hoſtes eo temeritatis progreſſi ſunt, vt veritatem deſerere mal-

lent, quam iis aſſenſum praebere, quos regum auctoritate adiutos res eccleſiae, quibus preerant, fideliter adminiſtrare ſciebant, multaque agere, quae non poterant non ingrata eſſe, quibus turpi vacare otio, quam laudabili induſtriae praeſtantius videbatur. Nihilo tamen minus ſufficit, complures & maximam partem veritati aduerſus GOTHESCALCVM dediſſe locum. Verba igitur SIGEBERTI & *annaliſtae Fuldenſis* non dubitant de ipſa damnationis veritate, ſed tantum, quosdam facta eius adhuc doluiſſe, nec in damnationem omnes conſenſiſſe, indicant; forſan circa modum poenae maximus oriebatur diſſenſus. Et quid porro cauſae fuiſſet patribus innocentem damnare? Non poterant id facere, nec volebant, qui veritatem tam ſtrenue g) ſectabantur ipſi. Neque etiam facti rationem ſingulis reddere verentur h). Calumnias, quas ab illo experiuntur, animo ferunt moderato, nec quidem hanc ob cauſam poena adficere decernunt, adeo ſui ſtudium & adfectum patres depoſuerant i). Scripta ipſius examinata k) haud esſe, vlterius ſine omni argumento veritatis contendit. Papae NICOLAI I. qua terret l), nihil hac in re valere poteſt auctoritas, quippe cui ab HINCMARO abunde ſatisfactum fuit. Libellos quidem comburere cogebatur, m) quod cum vſu receptum illo tempore eſſet nec errori ipſius palliando patrocinatur, cum iam refutati eſſent. Fragmenta etiam potiora ab aliis conſeruata aperte teſtantur, nihil vnquam GOTHESCALCO, quod alienum ab ipſius mente eſſet, impoſitum fuiſſe a patribus. Capitula IV. n) ab HINCMARO ambitionis pleno tumultuarie facta eſſe, fruſtra tandem adſeritur.

a) §.

(a) §. XIII. n. e.

(b) Et ANN. BERTIN. FRANC. ap. du CHESNE ad 849. T. 3. p. 203. *in praeſentia LVDOVICI Germanorum regis epiſcopali concilio detectus atque conuictus &c.* & RABANVS *ep. ſynodica* ad HINCMARVM T. I. opp. p. 20. *annuente atque iubente piiſſimo rege noſtro HLVDOVICO.*

(c) Quorum complures, vt ab inſtituto deſiſteret, dedere conſilia. v. LVPI SERVATI ep. ad GOTHESCALCVM. Quinimo fatetur id ipſe GOTHESCALCVS ep. ad RATRAMNVM, quam praemiſit IAC. SIRMONDVS operi *de non trina deitate* HINCMARI T. I. opp. p. 555.

Nempe tribus horum ſtudui proprium indere ſenſum,
MALCAVDO, JONAE atque LVPO rutilantibus ore,
Poſcens obnixe, ſatagant vt vera referre,
Propoſita eſt reliquis tantummodo quaeſtio cunctis,

& paucis interiectis pergit:

Nemo, ſed excepto, quid adhuc mihi reddidit vno, (SERVATO LVPO)
Qui cum ſit cautus, ſimul & catus, eſt moderatus,
Sic iam terna ſui librans reſponſa libelli,
(de 3. quaeſtionibus)
Vt dempto neutri pleno diſcrimine parti
Congruat.

(d) Ita *diſſ. chron. & hiſt.* c. V. p. 65. GOTHESCALCVS ait, *in opinione perſiſtens, quaſi conuictus potius, quam damnatus iuxta annales Fuldenſes & SIGEBERTI chronicon, vel etiam repulſus potius quam iudicatus iuxta FLODOARDVM, nec omnium quidem iudicio, ſed vt plurimis viſum eſt iuxta praedictos annales, vel vt multis viſum eſt ex praedicto chronico, & regis Ludouici iuſſu, qui praeſens in placito aderat, potius, quam epiſcoporum iudicio, vt refertur in RABANI ſynodica. Ita vt ſummaria illa inquiſitio & minus integra cognitio ſynodalis damnatio dici nullo modo poſſit. Non ſolum ſcriptorum ipſius GOTHESCALCI, quorum examen nullum habitum, ſed nec doctrinae, imo nec perſonae ipſius, licet notatus fuerit in eo, quod prohibitus in regnum LVDOVICI redire.* Sed quot verba, tot impoſturas deprehendis. Quod per partes demonſtrare licebit.

(e) TRITH. *chron. Hirſ. In qua haereticum quendam GOTHESCALCVM presbyterum condemnauit.* Et HINCMARVS *ep.* ad NICOLAVM P. R. *Qui,* liber erroris RABANO oblatus, *ab omnibus epiſcopis Germaniae damnatus fuit, & cum literis ſynodi ad eccleſiam Metropolitanam Rhemenſem miſſus.* Et quid amplius neceſſe erat, quam vt GOTHESCALCVM *rationabiliter erroris conuictum* eo deferrent, vbi nemini noceret vlterius.

(f) Quam non ſemper intelligebat, vel ad ſuam voluntatem retortam vel ſuppoſitam ſaepe ex ſpuriis ſcriptis, proponebat harum rerum igna-

ignaris. Et ipſe MAVGVINVS c. IX. p. 86. ait quidem: *eum eum AVGVSTINI & aliorum patrum doctrina ſtetitiſſe*, & c. I. p. 45. *S. patrum, maxime beatiſsimi AVGVSTINI acerrimum & ſtudioſiſſimum fuiſſe indagatorem*; parum ſibi nihilominus conſtat, ſi cum his conferas, quae de admiratoribus & diſcipulis GOTHESCALCI c. X. p. 5. & XI. p. 92. prolixe ediſſeruit, cauſam a iuuenili eiusdem aetate repetendam demonſtrans, qua omnium ſtrinxiſſet animos, dein rationem addit: *quoniam veriſimiliter in doctrina D. Auguſtini minus verſatos*, eoque facilius falli eius auctoritate poſſe, *credebat*. Adde HINCM. *ep.* ad NICOLAVM P. R. *Nam*, ait, GOTHESCALCVS *non ceſſat totos dies integros non ſolum ſcripturas, quas ad ſuam voluntatem trahit, repugnantes, verum etiam doctorum catholicorum ſententias mutilatas & a ſuo germano ſenſu detortas effutire, & eo modo in ſui admirationem & aeſtimationem rapiebat non tantum idiotas & ſimplices, verum etiam mediocriter doctos & parum prudentes, qui prae ſe ferebant zelum Dei habere, ſed non ſecundum ſcientiam & diſcretionem. Praeterea non ſolum appetit videri doctor & magiſter eorum, qui ipſum docent, verum etiam eos, qui cum eo conferunt ſuis alloquiis callide intercipere contendit, quodſi nequit conuincere, eos ſic dixiſſe, obſtinate iurabit, eos inter loquendum nonnulla protuliſſe, quae fortaſſe non dixerunt, vt verax habeatur, & hi, qui illi ſeſe opponunt, mendaces & ſuae propriae doctrinae contrarii.* Exemplum notatu dignum eſt, quo peruerſe cum Auguſtino egit, exhibitum ab HINCMARO de *praedeſt.* c. 17. p. 95. ſq. & c. X. p. 42. ſq. quo agit de teſtimoniis ſcripturarum quibus GOTHESCALCVS & ſui complices alieno ſenſu a fide catholica & orthodoxa doctrina irreuerentiſſime abutuntur.

(g) Praeſens erat Rex LVDOVICVS, praeſentes epiſcopi doctrina ac moribus praeclari, ſatisque pacifici, qui ab errore reuocare nitebantur, ſolidisque eum rationibus conuincebant. Non perſonae, ſed doctrinae aduerſabantur. HINCMARVS *erat vir ſane doctus & eruditus* v. *epiſt. LOTHARII ad LEONEM P. R. IV. qua ei pallium petit* ap. LABBEVM app. col. 1932. *Cuius generoſitatis nobilitatem ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officii commendat religio profeſſionis, vir merito rectae fidei & ſanae profeſſionis ab omnibus venerandus*, ait LVPVS *abbas Ferrar.* ad HINCM. *ep.* 42. ap. HINCM. opp. T. I. ab initio. Nihilominus multorum quoque criminum accuſabatur ab aduerſariis ſuis, quae ei reſcribit *Papa*, at nihil eorum, cui non reſponſione ſolida ſatisfaceret, intactum reliquit. Audiebant eum patienter doctrinam proponentem, defendentem, fraterne corripiebant errantem, damnatum nihilominus *fratrem* vocant *in ſynodi Cariſiacae* decreto, immo nihil omittunt eorum, quibus vel vlla ratione ad meliorem reduci frugem poſſet GOTHESCALCVS.

(h) HINCMARVS papam per *epiſtolam* & per EGILONEM legatum binis literis hac de re certiorem fecit. *Si veſtra*, ait priori loco, *auctoritas ad me ſcribat, vt hunc carcere liberum, ad vos mittam, vt vosmetipſi huius doctrinam ad unguem exploretis; aut hunc in manus alterius, quem vobis placuerit mihi nominare, deponam. Quia ſicut ſcitis, quod abſolute vnusquisque non poteſt regulariter ordinari, ſic ille, qui in cuſtodiam alicuius datus eſt, & in certum locum detruſus, ſiue monachus, ſive quilibet alius regulariter viuens, ſine cognitione & licentia eius, ad quem ſpectat, abſolui canonice nequit. Quicquid vobis iubebit mihi imperare, omnino perficere conabor. Solum a vobis auctoritatem peto, ne mea praeſumtione iudicium tot epiſcoporum relinquere velle videar. Non enim me delectat, hunc in carcere detentum intueri, quamuis ob ſuam pertinacem obſtinationem has merito poenas luat, ſed eius perfidiam moleſte-fero, a qua deſciſcere non vult. Et ep. XXIV. ad EGILEM* T. 2. p. 291. *De quo etiam literis Domino Apoſtolico ſuggeſſi, qualis eius ſit doctrina, & vtrum vellet, vt ei licentiam ad eum eundi darem, an alteri per ſuam iuſſionem commendarem, ne ſine auctoritate duarum ſynodorum diffinitionem diſſoluerem. Si illi placet per ſeipſum audire, mandet, & ego illum dimittam, vt ad eum vadat, quia ſi rex illum non miſerit, ego non habeo tantos cuſtodes, qui eum deducant. Si etiam illi placet, vt alius eum audiat, & ſuam doctrinam ſiue ſynodus ſiue quilibet epiſcopus audiat, & ſi bona eſt ſequatur, ſi praua eſt, ab eis, qui eum audiuerint, refellatur.*

(i) Orat, vt *hinc euelleret Deus moechum, coecum, peruicacem, haereticum HINCMARVM.* Et in *confeſſ. prolixiori*: *Si attrita fronte ac ſine vllo permanentes pudore in falſitate malunt perſiſtere, quam recedere a tanto, vt oportuerat, errore, viderint ipſi, quo ſe perditi vertant. Te precor, Domine Deus gratis eccleſiam tuam cuſtodias, ne ſua diutius eam falſitate peruertant, haereſeωsque ſuae peſtifera de reliquo prauitate ſubvertant; licet ſe ſuosque ſecum lugubriter euertant.* Et dein: *quaecunque contraria dogmatizare cognoſco, tanquam peſtem fugio & tanquam haereticum abiicio - inſtar pharaonis induratos vocat haeretico videlicet more.*

(k) Aliter HINCMARVS ad EGIL. ep. XXIV. l. c. *Tametſi aliquis vos interrogauerit de ſua doctrina, hanc eſſe illi reſpondere poteſtis, ſicut & verba & ſcripta illius teſtantur*, & paulo poſt: *Vnde latius dicta in ſuis ſcriptis inueniuntur, quae in altera ſchedula vobis mitto.* Libellos errorum normam ſuae refutationis conſtituerunt RABANVS & HINCMARVS, qui eo iſtorum fragmenta conſeruauit. *Confeſſiones* III. & *libellos* binos quos AMOLO examinauit, *epiſtolasque* hinc inde ſcriptas iam praetermitto. Et tum demum damnatur, cum ex ſcriptis & ſermone ipſius pateret, *quod ſit haereticus, quod vt abreptitius, cum quid rationabiliter reſponderet, non habuit, in contumelias ſingulorum*

proruperit &c. Nec vllus patronorum eius de iniuria GODESCALCO tum facta & doctrina inique imputata conqueſtus fuit.

(l) Cap. XLI. XLVI. XLVII. XLVIII. prolixe admodum. Huius mandato Apoſtolico, quo dimittendum mandauit GOTHESCALCVM, morem HINCMARVM haud geſſiſſe. At 1) conferre iuuabit, quae n. h. diximus. 2) Odium NICOLAI aduerſus HINCMARVM inde videtur ortum, quod conſenſus a P. R. a rege haud expetitus eſſet, cum epiſcopi eidem dignitas iuſſu regis collata a ſynodis confirmaretur. LVDOVICI quoque & CAROLI *regum* parti ſemper fauebat, eorundemque contra *Papas* libertatem defendebat ſtrenue. v. eius *quaterniones* ad CAR. regem *pro eccleſiaſtica libertate tuenda in cauſa Laudun. epiſcopi* ap. LABBEVM col. 1735. append. NICOLAVS enim papa ſuperbus EBBONEM iuſſu regis depoſitum reſtituere conabatur v. de eius faſtu & dominatione antichriſtiana, quae, ex ſcriptoribus fide dignis collegit SPANHEMIVS col. 1356. ſq. Ipſius etiam HINCMARI ep. ad NICOLAVM, *qua reſpondet increpatoriis eius literis, purgans ſe de tumore ac dolo* &c. ap. LABBEVM col. 1908. 1909. & 1919. ſq. pro depoſitis intercedit, ac ab iis quoque laudatur col. 1926.

(m) Quod exaggerat c. IX. p. 83. tanquam *inauditum irreligioſitatatis & crudelitatis exemplum.*

(n) Reſpondit iam LVD. CELLOTIVS T. 8. *conc. gen.* col. 1770. ac probauit, HINCMARVM *habuiſſe ingenium in numerato*, nec opus fuiſſe, vt multum temporis rebus examinandis impenderet. Praeterea rem iam quinquennio agitatam ac refutatam vir in patrum & ſcripturae lectione aſſiduus ac exercitatus ſine multo temporis diſpendio abſoluere poterat. Vrget porro ſubſcriptionem in *concilio Valentino* III. his verbis factam: *Porro capitula quatuor, quae a concilio fratrum noſtrorum minus perſpecte ſuſcepta ſunt propter inutilitatem vel etiam noxietatem & errorem contrarium veritati.* Haec tamen verba ab EBBONE *Gratianopolitano*, qui canones ſynodi confecit, ex odio aduerſus HINCMARVM priuato ſtudio adſecta, hinc quoque ſuppoſititia eſſe, recte exinde probatur, quod in ſynodo LINGONENSI, cum legerentur hi canones, & in *Tullenſi* apud *ſaponarias* abſint. v. prolixius haec ediſſerentem NATALEM ALEXANDRVM pec. diſp. p. 353.

§. XX.

Circa doctrinam non minus multa excipit MAVGVINVS, pariter facili negotio refellenda. Falſa quippe dogmata ipſi aſſignari, a) ſcribere enim ex carcere GO-

GOTHESCALCVM non potuiſſe, vel ſaltim, quae ſcripſerit, ab HINCMARO prius viſa, & huius demum iudicio vel edita, vel ſuppreſſa fuiſſe. In ſynodo Moguntina vnicum dogma de *praedeſtinatione gemina* omnem diſputandi confeciſſe materiam, dein vero ſemper plura ipſi tributa ſequenti tempore eſſe. Et haec ſumma eorum eſt, quae magno verborum apparatu obiecit. Sed ſi ad ſpecialiora animum conuertere licet, vel vnico exemplo patebit, non eſſe maioris ponderis, quae profert MAVGVINVS, quin eadem, qua adduxit, diluantur felicitate. Sic de redemptione pro ſolis electis facta ex mente GOTHESCALCI agens, diſtinguit inter redemptionem proprie & improprie dictam, *illam* vocat, *qua homo ex captiuitate mundi* ac diaboli ereptus eſſet; hanc vero, qua *incomplete ſeu temporaliter tantum per iuſtificationem redemptus dici queat.* Illam intelligere GOTHESCALCVM dicentem, *neminem perire poſſe Chriſti ſanguine redemptum b*). At quorſum haec ſpectant, aut quid ad rem, de qua quaeritur, facere poſſunt? Num quaeſtio erat de redemptione impropria? nullatenus. Et ſic reſponſio GOTHESCALCI vel plane nulla eſt, vel nuda tergiverſatio. Fruſtra haec adſerta fuiſſent, quibus ſcriptura, patresque contrariantur, quando de vniuerſalitate meriti Chriſti ad omnes homines ſpectante agunt. Si cui volupe eſt, conferat haud grauatim, quae ſuperius ex GOTHESCALCO deduximus, num idem ex verbis ipſius coniicere queat, quod MAGVINVS potuit. Mihi certe ſaepe iſta legenti, nondum licuit tam felici eſſe. Sic per praedeſtinationem nudam praeſcientiam, eamque certam & infallibilem intellexiſſe GOTHESCALCVM, quis ſibi, ſuperius adducta penſitans, perſuaſerit? Sed eadem

dem ſe ratione habent, quae ab auctore porro adduntur, hinc iis examinandis amplius inhaerentes, operam ac oleum perdere nobis videremur.

(a) Sic obiicit inter alia, AMOLONEM, quae contra GOTHESALCVM dixiſſet, ex ſpuriis ſcriptis petiiſſe. Sed vnde hoc metuendum erat, cum conſuleretur, falſa AMOLONEM ſuppoſitura eſſe. Scripta caeterum ſuperius iam adducta ſunt. p. 64. addit. *Valde probabile eſſe in iſtorum* dogmatum *apud HINMARVM relatione deprauationem aliquam ſubeſſe, ſaltem in omiſſione aliquorum, quae catholicam fragmentorum doctrinam magis explicare & aſperitatem, ſi qua eſſet lenire poſſent.* At magno ambitu verba GOTHESCALCI nobis, inque contextu ſunt conſeruata; hinc tale quid metuendum haud erat. Nec obſtat, GOTHESCALCVM ex carcere nihil ſcriptorum ſuorum promulgare potuiſſe. Quid enim cum GVNTBERTO e monaſterio fugiente actum fuerit, ipſe HINCMARVS refert ep. ad EGILEM XXIV. T. II. opp. p. 290. *monachum noſtrum nomine GVNTBERTVM aufugiſſe cum libris & veſtimentis & caballis, & aliis etiam, quae furari potuit, qui ſaepe pro ſuis negligentiis regulariter correptus fuit, & quia ſaepe GOTHESCALCO furtim ſe coniunxerat, & literas ei dederat, & ab eo acceperat, ſecundum regulam in grauioribus culpis miſſus fuit, & dicitur illius peruerſa doctrina deprauatus. Et ſicut mihi dictum eſt, quaſi ipſius GOTHESCALCI reclamationem vult perferre ad Dominum Apoſtolicum &c.* Scripſit porro in carcere *geminam confeſſionem.* Hinc nihil obſtat, quo minus & bini libelli ad AMOLONEM ex carcere ſcripti dicantur. Caeterum cur non omnia ipſius dogmata ſimul expenſa fuerint, ſupra diximus. *Quicquid fratres in cibo & potu habent, hoc ei quotidie ſine vlla negligentia miniſtratur: veſtimenta illi ad ſufficientam dantur, in manſione, in qua degit, caminatum habet & neceſſaria lauacra illi non denegantur, ſed poſtquam in eandem manſionem intrauit non ſolum corpus lauare noluit, verum nec manus, nec faciem* v. ep. cit. p. 292.

(b) v. cap. XXII. p. 169. 176. 177. vbi id probare pergit ex libelli fragmento, quod HINCMARVS exhibet de *praedeſt.* c. 35. T. I. opp. p. 305. *Baptiſmi enim ſacramento eos emit, non tamen pro eis crucem ſubiit*, &c. conf. §. 18. n. d. quod ex AVGVSTINO deducit vlterius. Scopo magis accommodari poſſet diſtinctio alia theologis vſitata, quae fundatur non in conferentis beneficio, ſed recipientis proprio arbitrio.

(c) Cap. XXII. p. 183.

§. XXI.

Res hactenus adducta dubio omnino caret. Vnicum tamen adhuc ſuper eſt, vt, quae mihi circa eandem mens ſit, paucis exponam. Nouitatis ſtudioſus erat GOTHESCALCVS. Hanc igitur ſententiam prono niſu ab aliis tum auditam, propugnauit, & conuictus errorem fateri noluit, ſuaque eruditione ac fama indignam rem iudicauit, errasſe. Omnibus igitur ſcripturae patrumque hanc in rem inflexis ac detruncatis a) teſtimoniis, ſententiam ſemel ſuſceptam acriter propugnare pergit. Sectatores hinc inde nactus eſt, quantumuis admodum paucos. Praeter RATRAMNVM enim & PRVDENTIVM vix quenquam doctrina illuſtrem inueneris, qui ſerio ab eius ſteterit partibus b). Complures odium erga HINCMARVM ac RABANVM ad adſenſum mouit, alios AVGVSTINI, quem iactabat, conſenſus. Honoris adfectatio, triſtiaque fata, quae experiebatur, GOTHESCALCVS, NICOLAI papae auctoritas, ipſius GOTHESCALCI apud quosdam ſupplicatio, ignorantia & aliae cauſae erant, quae non minus ſocietatem augebant. Pauci periculum intellexerunt, quod doctrinam ipſius comitatur. Accedit perpetua GOTHESCALCI tergiuerſatio. Vix MATCAVDO, IONAE ac LVPO rem accurate retulit, mentemque ſuam expoſuit, reliquos ſolis quaeſtionibus contentos eſſe, oportebat c). Ambiguitatibus rem omnem inuoluit, praedeſtinationem & praeſcientiam diuinam confudit, AVGVSTINVM nullibi errare, falſo ſuppoſuit, cauſas, vt non cauſas, ſaepius adduxit, & quae ſunt his ſimilia. Quae ordinate ab aliis tractata & bona inuenit, ipſe ſine ordine poſuit d), harmoniam attribuo-

butorum diuinorum deſtruxit, aliaque multa egit, quibus falli homines poſſe credebat. Proprii commodi ac honoris cupido multos adegit, vt verum indagare negligerent. Hinc ſi adcurate perpendas, quos MAVGVINVS patronos GODESCALCI nominat, videbis, eos nullo modo errorem GOTHESCALCI propugnare. Nonnulli, quae perperam a GOTHESCALCO dicta erant, excuſare nituntur. Hinc REMIGIVS & *eccleſia Lugdunenſis* ſibi perſuadere non poterant, adeo abſurdum quid a GOTHESCALCO e) adſertum fuiſſe, quale eidem tribuebatur. Succeſſu vero temporis controuerſia haec ex odio erga IO. SCOTVM aucta magis fuit, contra quem omnia ſua fere reliqui ſcripſerunt. Quidam etiam horum auctoritate a vero auertebantur; Pelagianiſmi etenim nota adficiebantur orthodoxi, a quo tamen complures immunes erant. Cordate non minus, quam docte hanc rem ediſſerit LVD. CELLOTIVS f) *Miraberis* HINCMARI *Rhemenſis antiſtitum ſpectatiſſimi pro conſeruandis eccleſiae iuribus zelum pie importunum & ſanctum, confidentiam cum nobili rerum humanarum inter aulae grandia contemptione coniunctam. Non feres patienter ingratum & leuem* HINCMARI *iunioris animum, qui felicitati ſuae inuidens, regis gratiae & auunculi patrocinio, quibus cum dignitate frui poterat, turbulentiſſimas inimicitias cum vtroque pertulit. Dolebis denique mecum, vt opinor, & huius contentionis & ſynodi Duziacenſis hiſtoriam ne de nomine quidem a* CAESARE BARONIO *appellatam fuiſſe. Vtraque enim cognita & accurate perlecta haud paulo aequius ſine dubio de virtute & catholico* HINCMARI *ſenioris animo tuliſſet iudicium.*

(a) HINCMARVS de *praedeſt.* c. VII. p. 29. T. I. opp.

(b) Exquiſite in cauſas inquirit NATALIS ALEXANDER *diſſ.* V. §. 2. P. II. *hiſt. eccl.* N. T. ſec. IX. & X.

(c) v. §. XIX. not. c.

(d) HINCM. c. VI. p. 27.

(e) Adde *concil. Valent.* III. 855. hab. canone III. contra HINCMARI IV. capitula, pariter ſatis orthodoxe diſſerens: *In electione tamen ſaluandorum miſericordiam Dei praecedere meritum bonum, in damnatione autem periturorum meritum malum praecedere iuſtum Dei iudicium.*

(f) *Prologo* T. VIII. *concil. general.* col. 1734.

§. XXII.

Mortuus denique noſter eſt non ſine plurimorum lacrymis a. DCCCLVI. a) v. die februarii, anno aetatis LXXX. b) cum epiſcopatui c) Moguntinenſi praefuiſſet annos IX. integros, vel accuratius annos IX. menſem vnum & dies quatuor d). Obiit diem ſupremum apud *Vinicellam* habitationis ſuae villam prope *Rhenum*, corpusque, ſicut iuſſerat, *Moguntiam* delatum in baſilica S. ALBANI in capella S. MARTINI & BONIFACII terrae e) mandatum eſt. Ibi quieuit, donec ALBERTVS *cardinalis, marchio Brandenburgicus ac archiep. Mogunt. & Magdeb.* oſſa eius *Halam Saxonum* in S. MAVRITII baſilicam ſuperiori ſeculo deuexit f).

(a) *Ann. Pith.* ad 856. ita loquuntur: *a. 856. menſe februarii, IV. die menſis, defunctus eſt RABANVS archiep. Moguntinenſis eccleſiae, habens in epiſcopatu annos IX. menſem I. dies IV.* Adde *chron. Hildensh.* ad h. a. ap. DV CHESNE T. 3. p. 510. LAMBERTVM SCHAFN. *de geſtis Germ.* ad h. a. MARIANVM SCOTVM L. III. *chron.* aet. VI. *Chron. breue monaſt. S. Galli* ap. du CHESNE l. c. p. 469. DCCCLVI. LEO PAPA, LOTHARIVS *Imperator,* TVCAGO ET RABANVS *obierunt.* Quinimo conſentiunt in anno emortuali deſignando etiam eorum plerique, qui alias in plurimis diſcrepant, SIGEB. GEMBL. aliique. Vnicus propemodum TRITHEMIVS de *ſcriptoribus eccl.* refert ad a. LV. praecedentem, quem tamen errorem mox L. III. *Vitae* emendauit. Quoad priorem vero locum grauem SERARII cenſuram paſſus eſt, qui probandum ſibi ſumſit, quod LOTHARIO, quocum TRITHEMIVS mortuum dicit noſtratem, ſuperuixerit RABANVS; cum LOTHARIVS VI. cal. octobris DCCCLV. deceſſiſſet, contra RABANVS IV. demum abhinc menſibus e viuis migraſſet. Nihilo tamen ſecius conciliare eum cum caeteris nititur PHIL. LABBEVS in *cenotaphio* IOANNAE PAPISSAE *demonſtratione chronica ineluctabili euerſo* T. VIII. *concil. gener.* inſerto col.

col. 165. RABANVS *Moguntinus archiep. deceſſit. IV. die febr. a. 856. more Romano chronologis modo omnibus vſurpato, vel iubente adhuc anno LV. qui apud plerosque Gallos deſinebat tantum in marty XXV. diem incarnationi dominicae ſacrum, vel in paſchalem feſtiuitatem. Hinc in quibusdam chronicis eodem anno includuntur LEONIS, LOTHARII, DROGONIS & RABANI obitus.* Adde Illuſtris B. G. STRVVII not. ad *ann. Franc. Fuld.* editionis FREHERI T. I. p. 17.

(b) Iuxta calculum ſuperius indicatum; adde MABILLONIVM *ann. Ben.* ad 856. T. III. L. 35. §. 3. p. 52.

(c) Aliquandiu ſocium miniſterii habuit THIOTMARVM, qui reliquas officii partes, quas ipſe propter virium imbellicitatem adminiſtrare non poterat, ad nutum ſuum dirigeret. v. P. II. §. XIV. not. f.

(d) Succeſſorem nactus eſt CAROLVM filium PIPINI Aquitaniae regis. Hic enim cum PIPINVM fratrem in *Aquitania* vagantem quaereret, a fidelibus CAROLI CALVI prehenſus poena capitis, hac tamen lege, in conuentu *Carnutenſi* abſoluitur anno 849. vt *ad clericum attonderetur.* Mox ex monacho *Corbeienſi* fit *archiepiſcopus Moguntinus magis ex voluntate regis (LVDOVICI) & conſiliariorum eius, quam ex conſenſu & electione cleri & populi* v. *ann. Fuld.* PITHOEI ad 856. & LABBEVS append. T. 8. col. 1928. Hinc non in leuem νοθείας ſuſpicionem incurrit diploma quoddam Lindauienſi monaſterio a LVDOVICO, quod aiunt, datum, annum exhibens DCCCLXVI. cum RABANI S. *Moguntinae eccleſiae metropolitae* mentionem iniiciat. v. MABILLONIVS T. 3. *ann. Ben.* L. 32. ad 866. §. 8. p. 605.

(e) v. TRITH. in *vita* & MABILLONIVS ad 856. T. 3. L. 35. §. 3. p. 52.

(f) v. OLEARII *biblioth. ſcript. eccl.* P. 2. p. 110. & autores ibi cit. De translatione vero ipſa, per quem, quando & quomodo facta ſit, peculiari ſyntagmate a ſe actum eſſe teſtatur TRITHEMIVS L. III. *vitae* p. 21. a me tamen viſus ille liber non eſt.

§. XXIII.

Et hic fuit exitus vitae viro hac aetate vndique celeberrimo. Erat prae ceteris, a) quin vltra ſeculi indolem doctus, linguae Hebraicae, Chaldaicae, Graecae ac Latinae ex aſſe peritus b). Legit c) non ſine ſummo eruditionis profectu prophanos d) ſcriptores ferme omnes, quidque in philoſophicis e) & poeſi f) aliisque doctrinae partibus valuerit, multiplici ſcripto-

rum

rum g) genere ipſemet orbi oſtendit. Erat ingenio felici, h) memoria prompta, acrique inſtructus vi iudicandi, hinc hiſce laboribus par vbique poterat eſſe. Ingenium teſtantur poemata, allegoriae & ſimilia inuentionum genera; memoriam adlegatorum ex patribus i), decretis, canonibus, ſcriptoribusque profanis quoque frequentia. Iudicium prorſus ſingulare mirabitur, quisquis accuratius perpenderit, res maximi momenti ab illo celeriter expeditas, in arduis & perplexis caſibus prompta ſuppeditata fuiſſe aliis conſilia, contradictiones facili negotio ſolutas. Hinc omnium in ſe oculos conuerterat, k) quem amabant ſuperiores, venerabantur, quotquot aequales, vel infra ipſius dignitatem poſiti erant. Vir prudentiſſimus erat, omnique adhibita cautione pericula illorum, quibus viuebat, temporum, circumſpecte euitabat. Amicitiae inter LVDOVICVM PIVM ac filios auctorem noſtrum exſtitiſſe, adſertum legi, at coaetaneorum fidem proferre non poſſum; quamuis haud videatur abſonum, ſiquis penſitauerit magnam RABANI, qua obiuis pollebat, auctoritatem, & conſiliis ipſius monitisque multum tum tributum fuiſſe conſiderauerit. Fuldenſe, l) monaſterium ſuae bibliothecae primordia RABANO debet. Quin alia adhuc multa egit laude ſua omnino digna, m) quae tamen heic adducere non licet. Praecipue tamen ſcripturae ſacrae ſtudium eidem n) ſummae curae cordique erat. Teſtantur hac de re commentarii in ſcripturam paene omnem conſcripti, de quibus tamen paulo poſt erit dicendi locus o).

(a) BARONIO audit *vertex huius temporis theologorum, vir doctrina valde inſignis, probitate & ſcientia nulli ſecundus, ann. eccles.* ad 847. T. X. n. XXVII. col. 55. *Germaniae ſidus fulgentiſſimum, cuius quae exſtant ſcripta tanquam lucis radii excellentiam demonſtrant auto-*

ris

ris, vt & iisdem inluſtrata Germania glorietur ſuum haud adeo imparem magnis habuiſſe doctorem ad a. 843. XXXVIII. & ad a. 856. XXVII. col. 144. *ſophiſta & ſui temporis poetarum nulli ſecundus, ann.* PITHOEAN. ad 844. *In theolologia praeclarus*, v. GOBELINVS PERSONA decanus *Bilſeld.* & officialis *Paderb.* in *coſmodromio* aet. VI. p. 194. adde SIGEB. GEMBLAC. ad 824. & 856. *Nullius omnino liberali homine dignae facultatis aut artis expers, fere nemini conceſſam hac aetate excellentiſſimae doctrinae palmam obtinuit. Immenſo quippe captu, vaſtoque librorum complexu docendo, dictando, ſcribendo diuinos apices, totis diſperſos bibliorum membris rimatus, portentoſi ac foecundiſſimi ingenii merito, neſcias vtrum illi plus decoris librorum conſcriptorum auctoritas, quam profundae & inhauſtae mentis admirabilitas adiecerit.* BROWERVS *antiqu. Fuld.* L. 1. c. 13. p. 55.

(b) BARON. ad 856. XXVII. col. 144. *triumque linguarum Hebraicae, Graecae atque Latinae peritus.*

(c) *Se & HEMMONEM non tantum diuinos libros & patrum commentarios, ſed etiam philoſophorum ſcripta legiſſe*, teſtatur *praef. epiſt. ad lib. de vniu.* T. I. opp. p. 53.

(d) Teſtari hac de re poſſunt loca ex VIRGILIO, PERSIO, CICERONE, PLINIO, IOSEPHO, HORATIO, HESIODO, OVIDIO, SALVSTIO, STATIO, IVVENALI, LVCANO, MARTIALI, NEVIO, LVCILIO, ENNIO, TERENTIO, aliisque poetis veteribus paene omnibus ſubinde adlegata, quae tamen prolixius recenſere inſtitutum vetat. In *poem. ad amicum* T. VI. p. 203 a. amorem puritatis latinae linguae teſtatur, dicens:

Sermo decorus ouet, ſeruentur regulae dictis,
Nexibus & certis verſus in arte meet.
Sic tua tunc ſobrio decoratur fiſtula cantu,
Laudaturque modo iure poeta bono.

(e) v. Part. II. Philoſophiae caeteroquin vſum ſaniorem tantum adprobat, abuſum contemnit. Ita namque L. VIII. *comm. in ecleſ.* c. XI. T. III. opp. p. 484. a. *Magis*, ait, *vera eſſe in omnibus claret catholici viri modeſta doctrina, quae in diuinis libris conſiſtit, quam omnis philoſophorum multiplex in diſputando & in argumentando ſolertia. In hac enim paucis ſermonibus irreprehenſibilis per omnia elucet veritas, in illa vero inexquiſitarum rerum oberrans opinio garrula loquacitate, imo manifeſta adparet falſitas.* Philoſophiam his ARISTOTELICAM perſtringere RABANVM, IO. LAVNOII eſt ſententia. *Perſtringit quidem*, inquit, *philoſophos omnes, ſed praeſertim ARISTOTELEM, quem ab antiquioribus eccleſiarum magiſtris repudiatum nouerat, atque vt chriſtianae fidei hoſtem acriter laceſſitum, de varia Ariſtotelis in acad. Pariſ. fortuna* edit. ELSWICHII p. 181. Quae tamen ſententia vix paucis ſe probare poterit, ſi conſideres, philoſophiam *Ariſtotelicam* *hoc*

hoc demum ſeculo IX. denuo florere vbiuis coepiſſe. Sed haec ſunt ab inſtituto aliena & alius, eiusque adcuratioris diſquiſitionis.

(f) BROWERVS maximam poematum HRABANI partem collegit, quae appendicis vicem praebent opp. T. VI. inſcripta: *poemata de diuerſis*, quae etiam doctis illuſtrauit *ſcholiis*, hiſtoricis pariter ac criticis. Libelli vero duo de laudibus s. crucis exſtant a JAC. WIMPFELINGIO editi T. I. opp. quibus de in prologo p. 273. T. III. opp. ait: *vt nouitatem videas, vt ingenium laudes, vt egregiam venam mireris, vt ad amorem crucis & crucifixi accendaris, vt deuotus eſſe incipias ei, qui pro te paſſus eſt, vt teipſum oblectes in hac dulci arbore, in qua mundi ſalus pependit, in qua eſt omnis ſpes noſtra, refugium noſtrum, medicina noſtra, per quam ſaluati & liberati ſumus &c.* Multa ex reliquis omnino deperdita ſunt, vel ſaltim BROWERO nullibi inuenta. Omnium vero, quae collegit, rationem exponit in *ſchol.* T. VI. p. 233. b. *Jam vero nonſolum multi ex hoc numero, ſed epici plurimi quoque deſiderantur, quos de LVDOVICI PII liberorum, LOTHARII, CAROLI, LVDOVICI rebus geſtis carmine heroico ab eo contextos aiunt, oblitescere & clauſos teneri bibliothecarum carceribus, quo leuius praeſentium iactura nobis ferenda quidem eſt. Aſper in his, quae damus, fateor, & agreſtis ac illex numerorum cantus, & qui canoris latialium cygnis moleſte etiam obſtrepat. Sed memineris velim, id temporis vixiſſe RABANVM, quo cum neque teneretur, quibus legibus apte ſonarent metra, neque curaretur, quibus verbis ſententiisque veſtirentur, abunde creditum eſt ſeruitum arti, dum intelligeretur, quid dicerent, lausque ingeniorum fuit prima, ſapientiae ſtudiis non remiſſis, intermicans vitae integritas & morum innocentia.*

(g) *Hiſtoriae, geographiae, arithmeticae* aliarumque diſciplinarum ſufficientem pro temporis iſtius ratione noticiam ſibi acquiſiuerat. Exempli loco ſint, quae habet T. III. opp. p. 245. & plura adhuc alia vbiuis obuia.

(h) TRITHEMIVS in *vita*: *Nam & ingenio fuit acutus & facundia diſertus, voce quoque tubali ſonorus & quadam grauitate venerandus.*

(i) CYPRIANO, HIERONYMO, AVGVSTINO, AMBROSIO, GREGORIO M. nec non ALBINO, BEDA, itidem GREGORIO NAZIANZENO, CASSIODORO, NICEPHORO, ISIDORO, INNOCENTIO, LEONE, SEDVLIO, ORIGENE, aliisque longe pluribus, nec minus ex canonibus ſynodorum ac conciliorum id probari poteſt; conf. *libros* III. *de quaeſtionibus canonum poenitentialium ad* HERIBALDVM T. VI. opp. p. 110. ſq. exſtantes. Quinimo adeo verſatus erat in patrum lectione, vt de eo HVNBERTVS in *praef. ante comm. RABANI in lib. Iudith. & Ruth.* T. 3. opp. p. 1. pronunciet: *Qui patres in tantum tuae induſtriae cogniti, vt veraciter illorum linguam veſtrum dicere poſſim ſermonem.*

(k) *Ma-*

(k) *Magna fuit in eo dilectionis auctoritas & non minor cum manſuetudine affabilitatis humanitas* l. c. & alibi: *Amabant eum ſancti ſeniores, vt filium, venerabantur ſtudioſi iuuenes, vt coeleſtis doctrinae magiſtrum, omnes quoque in communi totius illum religionis monaſticae habebant exemplum.* Iterum: *& per totam Germaniam & Galliam eruditionis & ſanctitatis eius veneranda opinio ſe diffudit.* & L. II. *vitae: omnes incomparabilem eius mirabantur doctrinam & coniunctam eruditioni ſanctitatem laudibus continuis praedicabant vbique.* Et FRECVLPHVS *ep.* ad RABANVM, qua *commentarios in pentateuchum* ſcribendos petit: *Inſuper precamur obnixe, vt quicquid Spiritus S. qui loquebatur olim in viris Deo deditis & adhuc loquitur & loquetur, veſtro beneuolo & deuoto inſpirauerit animo, ſub nullo reticeatis ſilentio.*

(l) v. *poema* XVI. ad GERHOHVM *presbyterum* T. VI. opp. p. 207. cui apparatum hunc librorum & quae in eo requirantur, oſtendit. Adde BRVSCHIVM *chronol.* p. 200. *qui inſignem & incomparabilem bibliothecam collectam & adornatam primum a RABANO vocat.*

(m) ODILO *Cluniac.* de eo in *ſerm. de laud. S. crucis: vir ſeculari ſcientia affatim eruditus, fide catholicus, ſpirituali ſcientia ad plenum edoctus, opereque de laude S. crucis pretioſius ad videndum, amabilius ad legendum, dulcius ad retinendum, laborioſius ad ſcribendum nil poteſt inueniri.* TRITHEMIVS eum adpellitat *virum in diuinis ſcripturis eruditiſſimum & ſecularibus literis nobiliter doctum, philoſophum clarum, rhetorem facundum, aſtronomum & computiſtam celeberrimum, poetam inſignem & ſubtiliſſimum, graece, latine & hebraice doctum, cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperit aequalem, cuius ſimilem ſuo tempore non habuit eccleſia. v. Tr. de ſcript. eccleſ. de viris illuſtribus,* & *vitam.*

(n) Vid. P. II. ab initio.

(o) optime ADAM TRIBBECHOVIVS c. VI. p. 294. de *doctor. ſchol.* de noſtro: *Vtinam vero in alia tempora RABANVS incidiſſet, poſitam certe in medio palmam omnibus vi quadam ingenii & pari diligentiae ardore praeripuiſſet.*

§. XXIV.

At quamuis intentus eſſet literarum ſtudiis magis magisque excolendis a), nihilotamen minus doctrinam ſine virtutis laude nihil profuturam optime arbitrabatur. Hinc vtramque laudabili & non infelici ſucceſſu coniunxit. Numini ſuum b) in primis tribuendum putabat cultum, ſuum tempus, ſuam operam.

Hinc pietas Deique veneratio ſuprema omnium actionum ipſius lex erat. Pietatem elegerat ſibi quae eſt κατ' ἐπίγνωσιν, hinc omnes animi neruos verae Dei cognitioni iuxta rationis, praeſertim & reuelationis limites intendebat noſter. Optime ac vtiliſſime omnino ſcripſit, qui ipſemet aliis doctrinas ſuo exemplo c) dabat ſaluberrimas. Viuebat integerrime, vt, quod reprehendi in eo queat, inuenias nihil. Abnegabat ſeipſum, liber erat a carnis d) voluptatibus, a mundi ſollicitudinibus ſeparatus, preces ad Deum humillimas fudit. At nihilo minus vir ſanctus ad ſuperſtitionem e) prolapſus eſt illorum temporum periodo admodum receptam. Templa in honorem ſanctorum exſtruxit ampla, ſplendidis ornauit monumentis, ſanctos magnis ſumptibus ac labore vndique acquiſitos ſolenni pompa intulit, omniaque fecit, quae honorem illorum quocunque modo promouere poterant. Atque hanc ob rem fictis miraculis ſubinde pariter ac caeteri vſus fefellit ſibi ſubiectos, quamuis absque deſtinato conſilio id feciſſe omnino videatur. Tandem & ipſemet in ſanctorum f) numerum relatus a quibusdam dicitur. Erga quemuis erat humanus g), & quibuscunque in rebus poterat, proximo inſeruire ſtudebat. Famis calamitate grauiſſima ex *Soraborum* potiſſimum incurſionibus orta, adeo ſe liberalem praebuit, vt hanc ferme ob cauſam a ſcriptoribus propemodum omnibus eiusdem ſeruata ſit memoria h). Trecentos enim amplius pauperes quotidie praeteruolantes praeter eos alebat, qui in conſpectu eius ordinarie paſci ſolebant. Omnium ſic fauorem ac beniuolentiam, ne mireris, noſtrum obtinuiſſe. Nam h) HRABANVS *monachus fuit innocens, abbas in Deo ſemper proficiens, archiepiſcopus inter praefectos excellens.*

(a) Ne vnicam quidem ſine labore horam praeterlabi permittebat, qua non in literis vel legendo, vel ſcribendo ac meditando profeciſſet. Queritur de iniuria hac in re ob morbi dolorem paſſa in *praef. ad comm. in Hierem.* T. IV. opp. p. 1. *Qui graui aegritudine preſſus iam ſaepius in lectulo accumbo, quam ad ſcribendum vel ad legendum in meditatorio ſedeo.*

(b) *Deum pura conſcientia, mundo corde & feruentiſſimo charitatis deſiderio amauit.* TRITH. *in vita* L. II. *Legit vtilia, ſcripſit ſancta, docuit recta, operabatur coeleſtia & ſine intermiſſione meditabatur diuina*, & rurſum: *Fertur enim ſanctam in conſuetudinem duxiſſe, vt nunquam cibum ſumeret, niſi prius gratias agens vitam, actus & paſſionem Domini & ſaluatoris noſtri Jeſu Chriſti ab incarnatione incipiens ad aſcenſum eius in coelum per ſingulos articulos meditando, gemendo & orando percurriſſet.* ib. *Vir valde religioſus & in ſcripturis diuinis apprime eruditus, cuius omne ſtudium fuit in meditatione legis Domini & in doctrina veritatis, curaque maxima circa diſciplinam monaſticam & profectum diſcipulorum, mens eius ad ea diſponenda, quae ad cultum diuinum pertinent, ſemper erat intenta.* RODOLPHVS in *vita* T. I. opp. p. 1.

(c) Supplex ante crucem pronolutus Chriſti humillimas fundit preces. Lege ſupplicationes ad Deum inter *poemata de diuerſis* T. VI. p. 203. a. 204. a. & alibi. Nec minus finem *rhythmi de fide catholica* p. 213. a. quo memor iudicii extremi ſupplex diuinam gratiam ac meritum Chriſti pro ſua ſalute implorat.

(d) EROWERVS in *antiqu. Fuld.* templa recenſet, nec minus inſcriptiones honori ſanctorum dicatas. Adde *poemata de diuerſis*, & RODOLPHVM pariter, ac TRITHEMIVM in his rerum quisquiliis & laudanda ſtolida hac pietate fere vbinis occupatos.

(e) Quo minus *ſanctus* adpellitari mereatur, qui ſtudio ſanctitatis adeo excelluit, cauſam video nullam, idque magis adhuc in ſequentibus probabitur. Hinc mirum omnino videtur, CHRIST. EBERH. WEISMANNVM theologum doctiſſimum in *intr. in memor. eccleſ. hiſtoriae S.* ad hoc ſec. §. 2. p. 636. id in dubium vocaſſe, putans, *liberale nimis eſſe elogium*, & iterum: *vnde tamen probari poſſit, virum fuiſſe ſanctiſſimum, non video.* Certe SIGEBERTVS ita vocat, niſi de relatione inter ſanctos κατ' ἐξοχὴν ita dictos intelligere malis. Nam non ſine ſanctitatis opinione mortuum eſſe credidit. MEGINFRIDVS & ex illo TRITHEMIVS multa ei miracula tribuunt: *ſuis ad Deum orationibus coecos illuminaſſe, duos claudos greſſibus formaſſe, de humanis etiam corporibus plures eieciſſe daemones & multis aliis inclaruiſſe miraculis.* Quamuis autem haec ex ſuperſtitione matre orta eſſe, quilibet perſpiciat, inficias

ficias tamen ire haudquaquam auſim, ſingularem RABANI & pietatem & ſanctitatem huic errori dediſſe occaſionem. Conferri etiam hanc in rem merentur, quae l. c. OLEARIVS haud indocte obſeruauit.

(f) *Ipſe*, (inquit RABANVS *prooem. ad lib. de laud. S. crucis*,) *haec legens animum deuotum impendens offerebam has primitias in laudem S. crucis expenſas, quae columna eſt coeleſtis aedificii, in qua videlicet conſtructa eſt domus Chriſti, ipſi arbitri interno, qui me conſpicit non ſuperba intentione, ſed humili deuotione, quicquid ſua gratia poſſum, in eius laudem volens conferre.* Erga proximum ſubmiſſus vocat ſe *ſeruum ſeruorum* in omnibus fere epiſtolis ſuis, *peccatorem vilem & inhabilem hominem, cui nec ſcientiae opes, nec eloquentiae facultas vires tribuunt in ep.* ad FRECVLPHVM T. II. opp. p. 2. *viliſſimum ſeruorum Dei ſeruum ep.* ad LVDOVICVM ante tr. de *vniu.* T. I. p. 51. *inutilem ſeruorum Dei ſeruum* ep. ad HEMMONEM condiſcipulum ſuum p. 53. *exiguum* ad FRECVLPHVM *comm.* in *Deuteron.* T. II. p. 405.

(g) v. chronographi ad a. c. 851. AVENTINVS *ann. Boior.* L. 4. p. 243. *Chron. Hirſaug.* ad a. 850.

(h) In *vita* L. II. TRITHEMIVS.

PARS II.
DE
DOCTRINA
HRABANI MAGNENTII MAVRI

σύνοψις.

Dogmata diſtinguntur in vera & erronea. Cauſa differentiae. Petuntur ex ipſius ſcriptis. §. I.

De his igitur I) hoc loco agendum. Eorum diuiſio, ac editio §. II.

Alia ſunt A.) ſacri argumenti. Agitur ſpeciatim α) de commentariis in ſcripturam S. quorum vera indoles indicatur generatim ac vindicatur §. III.

Plagii crimine abſoluitur §. IV.

De commentariis editis; in pentateuchum, librum judicum, RVTH §. V.

Porro in regum, παραλειπομένων, IVDITH, ESTHER, prouerbiorum, ſapientiae & eccleſiaſtici libros. §. VI.

In IEREMIAM, EZECHIELEM, MACCHABAEORVM libros, MATTHAEVM, epiſtolas PAVLINAS, ſelecta quaedam ſanctorum V. & N. T. cantica. De gloſſario eius latino-theotiſco. §. VII.

De ineditis. In IOSVAM, ESDRAM & NEHEMIAM, IOBVM, pſalmos, eccleſiaſten, canticum canticorum, ESAIAM, DANIELEM, librum IESV NAVE, MARCVM, IOHANNEM, acta apoſtolorum, epiſtolas canonicas, apocalypſin. De homiliis in euangelium: Liber generationis IESV CHRISTI, de patriarchis, aliisque. §. VIII.

β) De ſcriptis, quibus res ſacrae ac theologicae pertractantur. Et a) quidem, quae ad theologiam thetico-polemicam ſpectant. De Trinitate, euchariſtia: de modo praeſentiae, de corpore & ſanguine Chriſti, &c. §. IX.

De quaeſtionibus eiusdem aduerſus Iudaeos §. X.

b) De ſcriptis moralibus. De allegoriis in vniuerſam ſcripturam. De laudibus ſanctae crucis. §. XI.

De videndo Deum, puritate cordis & modo poenitentiae, de nonnullis ab HALITGARIO ſcriptis, de coeleſti immortalis imperatoris nota, de homiliis, de reuerentia filiorum erga parentes, de anima. Epiſtola conſolatoria ad LVDOVICVM §. XII.

c) De rebus eccleſiaſticis. De inſtitutione clericorum. §. XIII.

De poenitentium libro. Reſponſum ſuper quaeſtionibus REGINBALDI. Num liceat chorepiſcopis presbyteros & diaconos ordinare? De diuinis officiis, de ſacris ordinibus ſacramentis diuinis & veſtimentis ſacerdotalibus, de diſciplina eccleſ. de peccatorum ſatisfactione, quota generatione licitum ſit connubium, de conſanguineorum nuptiis. Commentarius in regulam S. BENEDICTI de oblatione puerorum, de computo, de

de chorepiſcopis, deque conciliis §. XIV.

B.) De ſcriptis argumenti ciuilis. De vniuerſo, & de arte grammatica PRISCIANI. §. XV.

De naturis rerum, de rebus geſtis LOTHARII, CAROLI & LVDOVICI, de origine rerum, de vita S. CATHARINAE. Excerptum de diuerſis auctoribus, ex epiſtolis HIERONYMI, de diſciplina militiae Romanae, de vniuerſali natura, de anima. Gloſſae latino-barbaricae de partibus humani corporis, de inuentione linguarum. Martyrologium §. XVI.

De epiſtolis eius §. XVII.

II.) De doctrina. Diuiſio generalis. §. XIIX. Hinc

A) De dogmatibus ad theologiam dogmaticam pertinentibus, de ſymbolis §. XIX.

De religione generatim, & de ſcriptura Sacra, §. XX.

De Deo, creatione, angelis, hominis natura, peccato, libero arbitrio, prouidentia, & nouiſſimis. §. XXI.

De gratia, redemptione, fide, regeneratione, conuerſione ſeu poenitentia, iuſtificatione, renouatione, ac ſanctificatione. §. XXII.

De ſacramentis, baptiſmo & coena ſacra, praedeſtinatione, eccleſia, miniſterio eccleſiaſtico, magiſtratu politico & matrimonio §. XXIII.

B) in morali theologia doctrinam de virtutibus egregie non minus perſecutus eſt. §. XXIV.

E genuinis fontibus ac methodo haud inconueniente §. XXV.

C) De rebus eccleſiae. De perſonis ſacris §. XXVI.

De temporibus, locisque ſacris §. XXVII.

De ritibus ſacris, circa baptiſmum & ſacram coenam §. XXIIX.

Circa lectionem, preces, miſſas, cantiones. De diſciplina eccleſiaſtica. De hierarchia eccleſiaſtica. §. XXIX.

Epilogus §. XXX.

§. I.

Abſoluta B. C. D. prima inſtituti noſtri de vita HRABANI parte, ſecunda hac *dogmata* ipſius notatu digniora exhibere decreuimus. Adparent illa nobis in duplici potiſſimum differentia. Mox enim in eisdem inuenies *ſelecta veritatis euangelicae teſtimonia*, quibus doctrinae purioris per hoc ſeculum nexus ac propagatio demonſtratur. Haud tamen raro, errores illius aeui amplexum *longius* paulo noſtratem *a vero aberraſſe*, deprehendes. In cauſam rei ſi inquiras, non minus nimiae ſuperſtitioni & erga ſanctos cultui,

 quam

quam genio ſeculi, quo viuebat, plurimum tribui debet. Nihilo tamen ſecius cuiuis rem omnem accuratius examinanti ex dicendis patebit, bonam ſemper & ingenuam RABANI intentionem mentemque vbiuis fuiſſe. Hinc erroris venia apud harum rerum peritos, quam alios ſectae ſtudio laborantes, ac ſui omnia aeui metro dimetientes, facilior erit. Quicquid in noſtris poſitum eſt viribus, in id impendemus vnice, vt rem ſine ambitu ſuperfluo, verborumque phaleratis lenociniis, prouti geſta eſt, abſoluta breuitate exponamus. Ne autem nubem pro Iunone lectori venditare videamur, praemittemus quaedam de ſcriptis HRABANI. Haec enim ſunt fontium inſtar, e quibus doctrinae ſeries deriuari debet; quamuis aliorum quoque labores multum huc conferre, lubentes fateamur, quos neque prorſus neglegimus. Praeterea noſtrae tractationi pars quaedam deeſſet haud exigua, ſi ſcripta, quibus maximam ſibi laudem eruditionis acquiſiuit, penitus intacta linqueremus.

§. II.

Haec ipſa igitur eiusdem ſcripta ordine, vt putamus, haud incongruo diſpeſcemus in libros *ſacri & ciuilis argumenti*; illosque denuo in eos, qui *ſcripturam commentariis inluſtrant, doctrinam ſacram, mores, & res eccleſiaſticas* tractant. Vtriusque generis *ſpuria* ſunt nonnulla, vel *dubiae* minimum *fidei*, multa vero *genuina*. Nec minus *edita* inuenies alia, eaque vel *integra*, vel hinc inde *mutilata*, vel non *edita*, quae in monaſteriorum ac bibliothecarum clauſtris, & ruderibus collapſis *ſepulta* vel penitus

nitus *deperdita* iacent. Et ad has claſſes omnes HRABANI libros commode referri poſſe arbitramur. Collegit complures eorum, qui tum haberi poterant, vir reuer. ac doctiſſimus IAC. PAMELIVS, S. Audomari epiſcopus, vt ſuis commentariis inluſtrata in lucem emitteret. Quo dein operi immortuo, quae a militibus (a) relicta fuerant, ediderunt ANTONIVS de HENIN epiſc. Iprenſis & GE. COLVENERIVS Th. D. & Prof. reg. ord. in acad. Duac. cancellarius ac denique collegii S. Petri praepoſitus (b), qui etiam optime de publico promeriti ſunt. Et hanc ipſam operum editionem nos ſequuti ſumus.

a) Militum Halberſtad. inſolentiam Vrſellis in archiepiſcopatu Moguntino factam hinc inde notatam inuenies in hac editione, praeſertim in *catalogo operum*, T. I. praemiſſo. Et hac ratione complura periiſſe volumina, quae maximo ſtudio PAMELIVS hinc inde collegerat, quis dubitaret? Specimen dat lacuna *commentarii in Matthaeum* T. V. opp. p. 139. &c.

b) Colon. Agripp. ſumptibus Ant. Hierati ſub ſigno Gryphi 1626. ſed 1622. iam Tomi V. partem ſub prelo ſudaſſe, idem catalogus teſtatur.

§. III.

Inter ſcripta HRABANI alia ſunt ſacri argumenti, alia ciuilis. Ad illa referimus omnia, quibus vel ſcriptura S. vel doctrinae etiam theologiae poſitivae ac moralis inluſtrantur, ac de rebus ad eccleſiam ſpectantibus ſufficiens traditur notitia. Librorum vero, quos HRABANVS in ſcripturam ſacram ſcripſit, maxima omnino a) eſt multitudo. Vir erat, vt ſupra diximus, admodum doctus, quem barbara illa ſecula tuliſſe, mirum eſt. Ante autem, quam ordine ſemel conſtituto ſingula eiusdem ſcripta perſequamur, indolem eorum generatim indicare adhuc liceat. Accedet hinc, vt

vt ſperamus, haud parum vtilitatis ad ſequentem diſcurſum noſtrum, & quid eis pretii ſtatui debeat, in anteceſſum ex dicendis conſtabit. Erat noſter inſtructus ſingularibus naturae ac gratiae donis, & adminiculis, queis opus eſt interpreti ſacro. Linguarum Hebraicae, Graecae, Latinae, quin Chaldaicae bene peritus, nec in reliquo diſciplinarum apparatu hoſpes erat. b) In theologia, philoſophia, c) hiſtoria, geographia ac genealogia d) diligenter verſatus, multa hinc inde ex his notatu digna adduxit, quibus ſcripturae loca illuſtrari poterant. Proprietati verborum operam dabat, non temere ab illa dimouendus. e) Senſui myſtico pro indole f) illius aeui indagando multum quoque negotii tribuebat, non tamen aeque felici g) ſemper ſucceſſu. Literalem h) tamen ſenſum vbiuis myſtico praemittebat, tanquam huius genuinum fundamentum, quemque Spiritus Sanctus proxime ac immediate verbis ſuis intenderit. Natiua hinc verborum, ac phraſium ſignificatione retenta, emphaſes diligenter eruebat. Verſiones Graecas, ac Latinas huic propoſito adcommodatas & commentarios complures conſulebat, quorum in ſenſu literali inueſtigando vſus haud eſt vulgaris. i) Profanorum ſcriptorum lectioni ſuum quoque tempus impendit, vocum, phraſium aliarumque haud exigui momenti rerum dari ex iis copiam interpreti ſacro, non inique arbitratus. Nihil hinc deerat noſtro eorum, quae huic ſtudio feliciter perficiendo neceſſaria erant. In ipſa vero ſcripturae explicatione ſenſum literalem iuxta fidei analogiam rimatus k), obſcuriora ex claſſicis ac euidentioribus eiusdem locis, hisque cum regulis

ἐξεγέ-

ἐξηγήσεως ac circumſtantiis ſedulo collatis, interpretari conabatur. Antecedentium l) pariter ac conſequentium maximam habebat rationem. Nec minus ſcopum a ſcriptoribus ſacris generatim, vel ſpeciatim his illiſum in libris, capitibus, verbis, phraſibusque ipſis intentum decenti ordine inueſtigauit, per ſummaria, quae vocant, ante ſingulos libros ac capita exhibitum. Perſonarum, m) temporis, loci, occaſionis ac obiectorum circumſtantias non minus diligenti ſuo examini ſubiecit, ſciens, eorum intelligentiam ad meliorem & adcuratiorem ſcripturae interpretationem haud parum conferre. Adfectum n) ſcribentis ac loquentis, nec non obiectorum quorumuis obuiorum exprimere omni niſu ſtuduit, omniaque praeſtitit, quae boni interpretis eſſe creduntur o).

a) IO. FR. MAYERVS non dubitauit hanc ob cauſam primo inter patres loco HRABANVM laudare. Rationem ſtatim ſubiungit: *nullus* ait, *in omni antiquitate occurrit, cuius commentarii in vtriusque foederis libros ad nos* ante RABANVM *peruenerint*, *biblioth. bibl.* diſſ. IV. num. 1. *Multa & pene infinita ſcripſit volumina*, ait TRITH. *catal. Illuſtr. Germ. ſcript.* vel ſi SIXTO SENENSI *bibl. S.* lib. IV. in RABANO fides habenda, libros commentariorum ſcripſit CLXXII.

b) v. quae hac de ad §. XXIII. partis prioris diximus prolixe.

c) teſtantur de iis ſcripta ipſius huc ſpectantia & mox adducenda.

d) vt harum ſibi ſufficientem comparet notitiam, conſuluit *Hebraeum* quendam, IOSEPHVM, PHILONEM, HIERONYMVM, aliosque ſcriptores huc ſpectantes. Genealogiae exempla vbiuis in libris praeſertim hiſtoricis luculenta exſtant. Speciminis autem loco eſſe poterant, quae de hiſtoria *Medorum regum* prolixe diſſeruit *comm. in librum* IVDITH. L. I. T. III. opp. p. 245. ſqq. & ep. ad HILCVINVM ante *comm. in libb. regum.* T. III. opp. p. 45. *Praeterea Hebraei cuiusdam modernis temporibus in legis ſcientia capitulis traditionem Ebraeorum habere non paucis locis ſimul cum nota nominis eius inſerui, non quaſi ingerens alicui auctoritatem ipſius, ſed ſimpliciter potius, quod ſcriptum repperi; eius probationem lectoris iudicio derelinquo.*

L e) de

e) de *inſtit. cleric.* L. III. c. XIII. T. VI. opp. p. 39. a. *Huic autem obſeruationi, qua cauemus figuratam locutionem, id eſt, translatam,* de qua cap. praec. egerat, *quaſi propriam ſequi, adiungenda etiam illa eſt, ne propriam quaſi figuratam velimus accipere. Demonſtrandus eſt igitur proprius modus inueniendae locutionis, propriane, an figurata ſit, & iſte omnino modus eſt, vt quicquid in ſermone diuino, atque* (mallem legere *neque,*) *ad morum honeſtatem, neque ad fidei veritatem proprie referri poteſt, figuratum eſſe cognoſcas.* Quod vlterius adhuc in ſequentibus exemplis inluſtrauit.

f) Fuit haec indoles patrum poſt ORIGENEM fere omnium, vt literali ſenſui adlegoricum in plerisque ſuperſtruerent. Obſeruauit hoc praeter alios SAL. GLASSIVS *philol. S.* L. II. Part. I. Tract. II. ſect. III. art. V. p. 421. ed. rec. Ex ORIGENIS autem ac reliquorum patrum ſcriptis multa excerpſit RABANVS, quorum etiam ſtylo temporis ſucceſſu aſſueſcebat. Vide praeſidis venerandi diſſ. hiſt. philol. *de allegoriis Origenis*, quae exſtat in *parergis hiſt. theol. 1719.* Ienae recuſis p. 140. ſq.

g) Interdum ad aedificationem haud parum faciunt. Exemplum videre licet in eiusdem *comm. in libb. regum* L. III. T. III. opp. *p.* 109. a. b. & alibi paſſim, praeſertim in *comm. in geneſin* ſcripto. Nec tamen ex altera parte deſunt, quae a forma ſanorum verborum haud parum recedunt, ſuntque ſcandalo potius, quam vſui auditoribus vel longius petita literalem inſimul ſenſum reddunt obſcurum. e. g. quando L. I. *de vniuerſo* T. I. opp. p. 57. b. per *digitos Dei Moſen legislatorem* intelligit, vel *prophetas*, ex verbis Pſalm. VIII. *Videbo coelos*, h. e. vt ipſe παραφράζει, *legis libros & prophetarum, opera digitorum tuorum. Chriſtum dici boedum propter ſimilitudinem peccati, vermem, quia reſurrexit.* p. 59. a. *Dentes Chriſti apoſtolos & praedicatores N. T.* propterea ſcriptum: *Dentes eius lacte candidiores, Gen. XLIX. qui praecidunt ab erroribus homines & eos quaſi comedendo in Chriſti corpus transferunt. Apoſtolos eſſe fauces Chriſti, barbam hominem a verbo aſſumptum, ventrem lauacrum regenerationis, ex quo electos ſuos* (quidni omnes credentes *per adoptionis gratiam in filios generat, veſtimenta carnem Chriſti aſſumptam.* (hinc etiam veſtis inſtar deponi poſſe, ſequeretur.) *Vnde*, inquit, *in Ezechiele propheta ſcriptum eſt, ecce vir veſtitus lineis, i. e. carne munda.* Et ſic multa adhuc alia incommodum adeo admittunt ſenſum, ſi adcuratum examen eorum ineas. Quamuis excuſare noſtratem hac in parte ſeculi, quo viuebat, indoles queat, non tamen ſine omni cenſura dimittendus erat. Totus de *vniuerſo* liber allegoriarum plenus eſt, ſed exſtat etiam peculiaris *allegoria-*

rum

rum in vniuerſam ſcripturam ſacram tractatus T. V. opp. p. 749. ſq. Hinc inde etiam earundem veſtigia in commentariis reperies.

h) Tr. de *allegoriis* cit. prooemium hoc aperte teſtatur, in quo inſtruit hermeneutam ſacrum, qui ad notitiam ſcripturae ſacrae peruenire cupit. *Ad quatuor ſapientiae intelligentias* attendere eum iubet, *hiſtoriam* videl. *allegoriam, tropologiam, anagogiam. Hiſtoria,* pergit, *ad aptam rerum geſtarum narrationem pertinet, quae & in ſuperficie literae continetur, & ſic intelligitur, ſicut legitur.* Et iterum: *Hiſtoria fundamentum ponit, allegoria parietes erigit, anagogia tectum ſupponit, tropologia vero tam interius per affectum, quam exterius per effectum boni operis variis ornatibus depingit;* & paucis interiectis: *Cum itaque ſacram ſcripturam de rebus loquentem audimus, proprietates qualitatum iisdem rebus naturaliter viſitare ſtudioſe inſpiciamus, & tunc euidenter ſcire poterimus, quo ſiue in bona videlicet, ſiue in mala ſignificatione, iuxta quod narrationis, quam contexit ſeries exigit, eas exigere debeamus.* In *praef.* ſuper *comm. in geneſin* ad FRECVLPHVM T. II. opp. p. 2. *ſenſum literae ac ſpiritualis intelligentiae in volumine digeſſiſſe ſe* ait. Adde *ep.* FRECVLPHI p. 1. & de *vniuerſo* L. IX. *prooemio: In ſacro ergo eloquio intelligentiae magna diſcretio eſt. Saepe enim in quibusdam locis illius & hiſtoria ſeruanda eſt & allegoria: & ſaepe in quibusdam ſola exquirenda eſt allegoria, aliquando vero ſola neceſſe eſt, vt teneatur hiſtoria, — vt & tardiores paſcantur per hiſtoriam, & velociores ingenio per allegoriam.*

i) *Inſtit. cler.* L. III. c. III. p. 35. T. VI. opp. *Tres ſunt autem linguae ſanctae, Hebraea, Graeca, Latina, quae in toto orbe maxime excellunt,* Vnde & *propter obſcuritatem ſanctarum ſcripturarum harum trium linguarum cognitio neceſſaria eſt, vt ad alteram recurratur, ſi aliquam dubitationem nominis vel interpretationis ſermo vnius linguae attulerit;* & *comm. in ESTHER praef.* T. III. opp. p. 279. *Nos autem, quae ex Ebraeorum fonte prolata ſunt, allegoriae ſenſu expoſuimus. Caetera vero, quae ex Graecorum lingua & literis inſuper addita ſunt & obelo praenotata, exponere praetermiſimus.*

k) *Cum ergo adhibita intentio incertum eſſe praeuiderit, quomodo diſtinguendum aut quomodo pronuntiandum ſit, conſulat regulam fidei, quam de ſcripturarum planioribus locis & eccleſiae autoritate percepit.* L. III. *inſt. cler.* c. XIII. p. 38. a. Traditionum hinc infenſiſſimus hoſtis erat. Ita L. IV. *comm. in paralip.* p. 230. T. III. a. *Alii ZACHARIAM patrem IOANNIS intelligi volunt, ex quibusdam apocryphorum libris adprobantes, quod propheta occiſus ſit, quia ſaluatoris praedicauerit aduentum. Hoc quia de ſcripturis non habuit autoritatem, eadem fa-*

cilitate contemnitur, qua probatur. Et in *eccleſiaſticum* L. IV. c. VII. p. 435. E. *In meditando ergo & in legendo ſcripturam ſacram debemus eſſe cauti, nec quid adiicere ad ea, quae ſcripta ſunt, nec demere aliquid ab eis, quae ab authoribus diuinarum ſcripturarum in libris comprehenſa ſunt, ſed ea cum ſumma veneratione habere, quae ibi inueniuntur, & omni niſu adimplere, quae ibi praecepta ſunt.*

l) *Textus ipſe ſermonis a praecedentibus & conſequentibus partibus, quae ambiguitatem illam in medio poſuerunt, reſtat conſulendus, vt videamus, cuinam ſententiae de pluribus, quae ſe oſtendunt, ferat ſuffragium, eamque ſibi contexi patiatur.* L. III. *inſt. cler.* c. XI. p. 38. a.

m) *Rariſſime ergo & difficillime inueniri poteſt ambiguitas in propriis verbis, quantum ad libros diuinarum ſcripturarum ſpectat, quam non aut circumſtantia ipſa ſermonis, qua cognoſcitur ſcriptorum intentio, aut interpretum collatio, aut praecedentis linguae ſoluat inſpectio.* l. c. c. XII. col. b.

n) de *puritate cordis* ad BONOSVM T. VI. p. 96. b. *niſi illum, quo ipſe loquutus eſt, profecerimus adfectum.*

o) Haec ſaltem in tranſitu adducta ſunt, vt quaenam ſit ſcriptorum eius ratio, lector pauliſper cognoſceret. Exempla longe plura ac ſpecialiora hinc inde obuia huc adferre, nimis prolixum foret.

§. IV.

Ex his de nonnullorum peruerſo iudicio iudicatu facile erit, quo HRABANI libros ad uerbum ex aliorum monumentis *deſcriptos* a), *inutiles* & *nullius ponderis* eſſe, dicunt. At quomodo haec locum habebunt, vt, virum neceſſariis ad interpretationem ſubſidiis ſatis abundantem aliorum ſibi laborem inique vindicaſſe, perſuadeas. Si etiam ſingulos a RABANO exaratos libros euoluas & bene perlectos cum aliis conferas, haud difficili opera, quantum a ſe inuicem diſtent, cognoſcere licebit. Patrum equidem dicta multa attulit, nomina tamen ſimul b) eorum, ex quibus ſua hauſit, vbiuis expreſſa legis, quaeque de ſuo addidit, ſuo quoque vel RABANI vel c) MAVRI nomine in margine adnotata

notata. Quisquis igitur rem aequa mente penſitauerit, aſylum hoc ignorantiae noſtratem, quacunque ratione potuit, admodum reformidaſſe, facile credet.

a) Contra omnem fidem ac conſcientiam egit hac in re GVIL. MALMSBVRIENSIS, quamuis Cl. BVRCARDO l. II. c. III. p. 70. *de fatis linguae lat. &c. vir ſeculi XII. inter omnes ſcriptores & narrationis fide & iudicii maturitate princeps audiat, quique DCC plus minus annorum hiſtoriam tanta fide ac diligentia pertexuerit, vt ex Anglis prope ſolus hiſtorici munus expleſſe videatur.* Scripſit *praefationem ad abbreuiationem* AMALARII, quam ex LAMBETHANA bibliotheca primum edidit D. ALLIX *ad* IOH. PARISIENSEM. Notauit hanc ipſius calumniam iam GVIL. CAVVS *hiſt. liter.* ſub RABANVS. Poſtquam exempli loco libros de officiis eccleſ. ex ISIDORO, AVGVSTINO & GREGORII *paſtorali* excerptos ac alios ex eodem ISIDORO ac BEDA compilatos adduxerat, ita tandem pergit: *Fuit vir ille huic vitio* plagii, *peculiariter aſſiduus, quaſi prorſus deſperaret, lectores ſuos memoriam non habere, qua poſſent eius furta deprehendere.*

b) *praef. ad* FRECVLPHVM praemiſſa comm. in *numerorum* librum, T. II. opp. p. 314. eius rationem addit RABANVS: *Ne forte fraude furti arguerer, ſed manifeſte ea agnonimis mei praenotatione depinxi, ſicut & in aliis opuſculis noſtris me feciſſe recordor, vt ſciret lector, qua ſecuritate patrum dicta legere poſſet, quantaque cautela noſtra rimari deberet.* Et *praef. ad HAISTVLPHVM* ante *libb. de inſtit. cler. Confido tamen omnipotentis Dei gratiae, quod fidem & ſenſum catholicum in omnibus tenuerim, nec per me, quaſi ex me ea protuli, ſed authoritati innitens maiorum, per omnia illorum veſtigia ſum ſecutus &c.* T. VI. opp. p. 2. Quae in patribus legerat notatu digna, *ſingula ſecundum opportunitatem loci, prout ipſi ſatis eſſe* videbatur, *inſeruit, eorum nominibus ante in pagina praenotatis.* vid. praef. cit. ad FRECVLPHVM T. II. p. 1.

c) l. c. *ea, quae ab aliis expoſita non inueni, proprio labore enucleare curaui.* Et *ep. ante comm. in Iudicum & Ruth* ait HVMBERTVS T. III. p. *Quem*, librum, *proprio prudentiſſimoque ingenio compoſuiſti ad praedicandum in anni circulo populum Chriſtianorum --- quibus perlectis, in quantum noſtri ingenioli fuit capacitas, intellexi, illos de omnibus, quae neceſſaria ſanctae Dei eccleſiae laudabili magnitudine & breuitate eſſe complexos.* Et deinde: *non tamen propterea iſta poſco, quaſi deſint nobis iſtius operis ſcriptores. Habemus namque ORIGENEM, qui in tantum tuae ſunt induſtriae &c.* & RABANVS *ep.* ad HVMBERTVM, ib. *Hoc ergo ſcias, quia opus, quod tibi transmitto, non tantum ex maiorum dictis, quae meorum libris conſcripta repperi, ſed ex noſtro labore, quantum di-*

uina

uina gratia nos poſſe concedit, *editum conſtat.* Sed haec ὡς ἐν παρόδῳ.

§. V.

Inter commentarios, quos ſcripſit RABANVS, eosdemque *editos* primum locum obtinent lucubrationes in pentateuchum a), hortatu FRECVLPHI b) epiſcopi Lexouienſis in occidentali Francia non ita pridem ad hanc dignitatem euecti, exaratae c). Miſit eas ad eundem praemiſſis epiſtolis, quas vocant, dedicatoriis. Hinc, excepto RABANO, iure nemini tribuuntur. In *Judicum* d) & RVTH libros pariter commentationes exſtant HVMBERTO dicatae. Quos libros iunctim ſumptos *octoteuchum* e) vocare ſolent ſcriptores horum temporum.

a) Quo tempore ſcriptae fuerint, audacter adfirmare haud auſim. IO. MABILLONIVS annum DCCCXXX. determinauit *ann. Bened.* L. 30. T. II. §. LI. p. 534. Quamuis paulo ſerius ſcriptae videantur vel eam ob cauſam, quod ſub finem epiſtolae ſuae preces FRECVLPHI his verbis exoret: *De caetero quoque obſecro, vt fragilitatem meam orationibus adiuues, deprecans ſupernam maieſtatem, vt me in praeſentis pelagi tempeſtate ita ſua gratia gubernet, qualiter me in praeſenti vita in ſuo ſeruitio vtilem & in futura largitatis ſuae ope concedat eſſe beatum.* Pelagi tempeſtatem diſſenſiones inter LVDOVICVM ac filios, denotare arbitror, nec tamen aliis pertinaciter refragabor, qui vel GOTESCALCI turbas intelligere malunt, quibus laceſſebat RABANVM, dimitti poſtulans, vel etiam miſeriam, quam omnes, qui in mundi huius pelago ac periculis peregrinantur, experiri neceſſe habent; quamuis haec nimis longe petita videantur. Abbatem adhuc fuiſſe RABANVM, cum ſcriberet hunc librum, ex FRECVLPHI inſcriptione patet: *Venerabili abbati Mauro & conſacerdoti.* Caeterum totum tomum II. abſoluunt in editione operum, quam COLVENERIVS procurauit.

b) Cuius epiſtola p. I. exſtat: *Qui ſc. legislatoris libri, humiliter poſcimus, vt ita veſtro ſuccincte dilucidentur ſtudio, vt priorum perſcrutando conſeratis tractatorum labores & velut ex pratis vernantibus, amoenisque flores, — Ergo itaque modo opus hoc compendioſum fieri flagitamus, vt primo ſenſus literae, ac deinde ſpiritualis intelligentiae accurate ſuccinſa prolixitate pandatur & ſingulorum nomina auctorum in fronte notentur pagellae &c.*

c) Expoſitio γενέσεως IV. libris abſoluitur, in quibus *omnia ſacramenta figuraliter exprimi putat, quibus praeſens illius temporis eccleſia inſtituitur, nutritur ac regitur.* In *exodum* libris IV. *inuenit in ſermone ſuaue documentum, in ſenſu ſalubre conſilium, in myſterio honorabile ſacramentum.* Hos excipiunt libri VII. commentationis in *leuiticum.* IV. tantum eorum male nominant TRITHEMIVS L. III. *vitae, catal. virorum ill.* opp. T. I. p. 254. & *de ſcript. eccl.* *ipſeque* MAYERVS l. c. cum VII. editos reperias. *Tradente Domino RABANO abbate viro in multis ſcientiae diuinae eloquiis ſpectabiliter adornato* memoriae leuandae cauſa in compendium XXVII. capita complexus, redegit hos libros WALAFRIDVS STRABVS. Enarrationes in lib. *numerorum* IV. totidemque in *deuteronomium* abſolui, ac ſingulis pentateuchi libris peculiares ad FRECVLPHVM epiſtolas praemitti, conſtat. Quo autem ſucceſſu CAVVS ex *codice Oxonienſi* probauerit, commentarios in *exodum, leuiticum & deuteronomium* WALAFRIDVM autorem agnoſcere, qui illos ex RABANI ore ſedulo exceperit, illi videant, quibus codicem videndi datur occaſio. De *leuitico* eo minus probabile eſt, cum epitome SRABI proſtet ex prolixiori commentario RABANI excerpta, quae forſan errori anſam praebuit. v. OLEAR. *bibl. ſcript. eccl.* P. 2. p. 3.

d) Commentarius in *Iudicum* binis libris abſoluitur, & in RVTH vnicus tantum proſtat. Si MABILLONIO credimus, anno DCCCXXXVIII. 15. cal. auguſti ſcripti ſunt. v. *ann. Bened.* T. II. ad h. a. L. 30. In *ep.* easdem repetit preces ad HVMBERTVM epiſc. *VVurzib. vt precibus, piisque exhortationibus* ſe *releuet, quia non ſolum propriae aegritudinis moleſtia, verum etiam communis periculi, quod inſtanti tempore valide imminet, anxietate praegrauatus ſit, atque omnipotentis Dei miſericordia maxime indigeat, ne deficiat in tribulationibus, in neceſſitatibus, in periculis, & in tentationibus diuerſis.* T. III. opp. ab initio.

e) RVDVLPHO in elencho librorum RABANI ſcriptus dicitur rogatu FRECHOLFI, FRIDVRICHII & HVMBERTI. Eo tamen adhuc ſpectat commentarius in IOSVAM, mox nobis memorandus.

§. VI.

Quatuor abhinc libris expoſuit totidem *Regum* a) libros, & aliis quatuor παραλειπόμενα b). Ad IVDITHAM c) *Auguſtam*, LVDOVICO PIO ſecundis votis adſtrictam, miſit capita XXI. d) commentationis ſuae in librum

IVDITH

IVDITH. Eidem quoque *Reginae* e) *nobiliſſimae* dedicat commentarium ſuum in librum ESTHER, XIV. capitibus conſtantem. In *prouerbia* f) SALOMONIS tres, librum *ſapientiae* III. & in *eccleſiaſticum* g) libros x. expoſitionum confecit. Quorum binos poſteriores OTHGARIO *archiep. Mogunt.* dicauit.

a) ad HILCVINVM *abbatem & S. palatii archicapellanum.* Dicauit eos poſtea etiam LVDOVICO PIO *Imperatori*, cum *praeſentialiter* eſſet. v. praef. ſuper *paralip.* MSS. exemplar eius exſtat in *bibliotheca Paulina Lipſienſi cum prologo, partim proſaico, partim metrico ſeu elegiaco.* v. IOACH. FELLERI *catal. codd. MSS. bibl. Paul. Lipſ.* repoſ. theol. I. ſer. I. in fol. p. 101. at prologorum vltimus in noſtra editione deſideratur.

b) ad *ſereniſſimum, glorioſiſſimum, pleniſſimum, inque vera religione excellentiſſimum Baioariae regem LVDOVICVM.*

c) teſtatur de hac re dedicatio:

Te quoque depoſco, ni linquas laedere quenquam
Reginam fraude, foueasque benignus amatam,
Tu vt facias fortis iudex regnare quietam
Iſtic, ſicque polo IVDITH ipſa paretur adire.

adde AVENT. *ann. Boi.* L. IV. p. 227. Si NATALEM ALEXANDRVM ſequi liceret, anno DCCCXVI. ſcripſiſſe hunc libellum noſtratem ſtatueremus. At falſum eſſe hunc computum, vel inde ſatis patet, quod IVDITHAM LVDOVICVM anno demum 819. duxiſſe, teſtentur *ann. Franc. Fuld.* ad 819. aliique ill. STRVVIO citati in *ſyntagm. hiſt. germ.* diſſ. IIX. §. 7. not. ** p. 214. Hinc ſerius ſcriptum eſſe, quilibet videt. Subiungitur ipſius PAMELII peculiaris commentarius p. 269. in cuius praef. auctoritatem libri IVDITH canonicam probare nititur. MSS. & huius exemplar in *bibl. Paulina* exſtare, idem FELLERVS fidem facit, repoſ. II. Theol. ſer. III. fol. n. 33. p. 121.

d) Liber vnicus eſt, vt etiam recte obſeruat CAVVS. TRITHEMIVS ac MAYERVS VII. ſcripſiſſe libros adſerunt, & hic inſimul ad MSS. prouocat. Vtrumque tamen ab aliis deceptum fuiſſe, crediderim.

e) Ita vocat illam in *praef.* & malumus cum NATALI ALEXANDRO diſſ. XI. p. 578. IVDITHAM intelligere, quam EMMAM quandam cum aliis fingere nullibi memoratam. v. CAVVS.

f) Sine praefamine exſtant T. III. p. 323. binos eorum libros peſſime TRITHEMIVS omiſit.

g) quem

g) quem librum HIERONYMVM apud Hebraeos *parabolarum* titulo inſignitum reperiſſe notat, adiectis *eccleſiaſte* ac *cantico canticorum.* Scriptum eſſe hunc eius commentarium 827. SIGEBERTVS & cum eo GVIL. CAVVS adfirmant. Addubitat contra MABILLONIVS *ann. Bened.* ad 827. T. II. Lib. 30. §. V. p. 510. & ad annum 839. referre mauult L 32. p. 611. quem tamen diſſenſum vel notaſſe ſufficiet.

§. VII.

Merito inſuper noſtro tribuimus elegantem commentarium libris xx. a) incluſum in *Ieremiam* b) *ac threnos* & circa annum DCCCXL. ſcriptum c). In *Ezechielem* d) exſtant expoſitionum libri itidem xx. ad LOTHARIVM imperatorem. LVDOVICO e) *Franciae regi* miſit in *Macchabaeorum* libros commentarios binos, quantum videtur, *Fulda* f) iam exul. In *Matthaeum* g) VIII. libros ad HAISTVLPHVM *archiep. Mogunt.* ante DCCCXXVI. miſſos eſſe, oportet, quippe quo ille diem obiiſſe ſupremum, conſtat. h) PAVLI *epiſtolas* libris xxx i) elucidare conatus eſt, quos LVPO *Ferrarienſi*, k) cuius hortatu ſcripſerat, & SAMVELI *epiſcopo* dicatas reperi. In *ſelecta quaedam cantica ſanctorum V. & N. T. matutino tempore cantari ſolita* ſuas quoque explanationes confecit, ac LVDOVICO *regi Germaniae* ſubmiſſe obtulit l). *Gloſſarium latino-theotiſcum*, quo voces *latinas* huius vel illius libri biblici diſcipulis ſuis *latine* & *theotiſce* m) expoſuit, an huc referendum ſit, dubito, *cum vix aliqua* eiuſdem n) pars publicam lucem hactenus aſpexerit.

a) XXX. conſtituit GVIL. CAVVS, at qua fide, penitus non video. Adde SERARIVM & MAYERVM.

b) Sunt equidem nonnulli, qui III. poſteriores libros ab HIERONYMO, non RABANO ſcriptos eſſe, adfirmant. GVIL. CAVVS ſententiam hanc adduxit, ſed rationem addere praetermiſit, neque etiam vlla ſufficiens dari poteſt, cur RABANO vindicari nequeat. Ex HIERONYMO equidem multa

collegit, maximus tamen rerum adparatus MAVRI prae ſe fert nomen. GREGORII poſt HIERONYMVM mortui, ac CASSIODORI nomina hinc inde praefixa ſunt. Et inſuper nec maximam, nec dimidiam partem, multo minus totum opus HIERONYMI labores abſoluunt. conf. GERHARDI *patrolog.* ſub HIERONYMVS.

c) Si SERARIO credimus, iuſſu LOTHARII Imp. factum hoc eſt. Adde *ep. dedic. Ergo quoniam nuper epiſtola de excellentia veſtra, o Imperator, ad nos miſſa peruenit, hortans paruitatem meam, vt huius prophetae librum vobis exponerem, vltimamque partem EZECHIELIS &c.*

d) v. *ep. dedic.* Praefixa eſt iis adhuc *ep.* LOTHARII; *duas*, inquit, *tibi epiſtolas miſi, quarum vna tantum eſt legenda, haec vero altera & legenda & in libro operis tui anteponenda.*

e) Dein etiam peculiari *prologo* GEROLDO S. palatii archidiacono. Compilauit hoc opus ex IOSEPHO, hiſtoriae S. & gentilium quoque ſcriptis. Tres vero libros fuiſſe TRITHEMIVS ac MAYERVS adſerunt, at vbi tertius lateat, ignoro.

f) Vt in gratiam LVDOVICI vlteriorem veniret, qua excidiſſe videbatur propter nimium fauorem fratri LOTHARIO praeſtitum. Quamuis MABILLONIVS ad a. 839. menſem octobr. referat, *ann. Bened.* T. II. libr. 32. p. 611. & NATALIS ALEXANDER ad 840. l. c. p. 575. Quamlibet horum, quousque cum veritate conueniat, nec ne, vlterius examinare, eamque, quae caeteris potior eſt, amplecti licet ſententiam.

g) Multis lacunis laborat, vt ſupra diximus, e. c. Lib. VII. cap. XXVI. T. V. opp. p. 139. & L. VIII. c. XXVI. p. 140. cap. XXVIII. p. 150. militum iniuria factis.

h) v. NATALIS ALEXANDER p. 578. Hinc ad 822. eosdem MABILLONIVS referre non dubitauit, *ann. Bened.* T. 2. ad h. a. L. 29. §. 27. p. 472.

i) TRITHEMIVS ac MAYERVS XXIII. tantum libros in MSS. *Fuld.* repertos eſſe contendunt. At XXX. exhibet editio noſtra.

k) NATALIS ALEXANDER l. c. p. 578. Contra huc parum quadrat, quando TRITHEMIVS *chron. Hirſ.* ad 851. de dedicatione epiſtolae ad Romanos LVPO facta dicit. Caeterum adiectae ſunt doctae PAMELII lucubrationes in epiſtolam ad PHILEMONEM.

l) Exſtant T. III. opp. p. 293. ſeq. e. g. in *canticum* ESAIAE, HANNAE, EZECHIAE, aliaque eius generis plura.

m) Inuenit illud PETR. LAMBECIVS in *bibliotheca Ambraſiana apud Oenipontem*, indeque repertum *MSS. bibliothecae Vindobonenſi Caeſareae* intulit. Specimen eius deinde ſuis inſeruit *commentariis* cum prolixa recenſione L. II. c. V. p. 416. ſq. Vbi etiam illud hoc RABANO vindicare ſtudet. Nec ſine omni ratione. Parum etenim referet, ſiue cum LAMBECIO ab ipſo RABANO ſcriptum dixeris, ſiue cum aliis a WALAFRIDO STRABONE ex ore RABANI exceptum, atque abhinc publicatum, ſicut etiam *gloſſas latino-barbaricas de partibus humani corporis* prodiiſſe in publicum conſtat. Fuiſſe hinc videtur expoſitio RABANI *tumultuario* dein ordine ab auditore excepta ac conſarcinata.

n) Primum ſpecimen dedit ipſe LAMBECIVS l. c.

In nomine Dei ſummi incipiunt gloſſae

RABANI MAVRI

Inchoant, Pikinnant,	h. e. *Es beginnen,*
Congregationes, Samanunga	*die Verſammlungen,*
Verborum, Vuorto	*der Woerter.*
Ex nouo, fona deru niuun	*von der neuen.*
Ex vetere, anti deru altun	*von der alten,*
Teſtamento, Euu	*EW, ſiue Zeit.*

Aliud *ſpecimen* edidit IO. DIECMANNVS eccleſiarum in ducatu *Bremenſi & Verdenſi Sup.* generalis, cum inſertis hinc inde explicationibus *DIET. von* STADE archiuarii *Brem.* & *Verdenſis.* Quem laudauit CAR. FR. PEZOLDVS pec. ep. inſerta *miſcell. Lipſ.* T. V. obſ. XCVIII. p. 65. DIECMANNI autem conatus & STADENI iunioris quoque labores huic rei impenſos vna cum adcurata hiſtoriae delineatione perſequuntur *noua liter. Lipſ.* ad a. MDCCXXII. mart. Part. III. p. 35. - 40. Eo etiam referas *excerpta ex literis eius* id. apr. 1718. ad THEOD. HASAEVM *ſcriptis, in quibus ſuam de ORMISTA OROSII coniecturam* exhibet. *Exſtant in bibl. Brem. claſſis* I. faſc. IV. ſect. VI. p. 548. Omnem v. operis diſpoſitionem aliaque notatu digna leges etiam claſſ. II. faſc. II. ſect. VII. p. 379. ſq. & cl. IV. faſc. II. ſect. X. p. 410.

§. VIII.

Scripſiſſe RABANVM in IOSVAM a) binos commentariorum libros a. 834. ad FRIDVRICVM epiſcopum Traiectenſem ad Rhenum, conſtat. In ESDRAM b) & NEHEMIAM libris III. in IOBVM c) I. in *pſalmos I.* in *eccleſiaſten* vno, in *canticum canticorum* vno, in ESAIAM VIII. in DA-

NIELEM d) XII. in *prophetas minores* IV. in librum e) IESV NAVE, MARCVM, LVCAM f), IOHANNEM, in *acta apoſtolica*, *epiſtolas canonicas* & *apocalypſin* ſcriptae ab eodem lucubrationes memorantur. Sed videre illas hactenus non contigit. Vbi *homiliae* eius de euangelio: *liber generationis Ieſu Chriſti*, GVIL. CAVO notatae, & liber *de patriarchis* g) deliteſcant, vel tinearum *corroſione, alioue caſu interierint*, prorſus ignoro h).

a) vid. TRITHEMIVS & MAYERVS ll. cit. MABILLONIVS quoque *ann. Bened.* T. II. Lib. 30. §. LI. p. 535. vbi etiam epiſtolae dedicatoriae a ſe alibi editae mentionem iniecit.

b) v. TRITHEMIVS, SERARIVS, MAYERVS ll. cc. *Centuriae Magdeb.* IV. libros fuiſſe, ſcribunt.

c) latet MSS. *in bibliotheca monaſterii Augienſis*, ſi SERARIO ac MAYERO fides habenda. Adde TRITHEMIVM.

d) quem ad LVDOVICVM regem a. c. 838. miſſum a ſe teſtatur T. IV. opp. p. 380. in *prologo ad comm. in libb. Maccab.* Adde MABILLONIVM T. 2. Lib. 32. p. 611.

e) FRIDVRICO ac HVMBERTO mittere promiſit *dedic. lib. Iudicum* & RVTH ad HVMBERTVM. Addatur MABILLONIVS l. c.

f) vnicus, an duo iuxta *centur. Magd.* ſint, an tres iuxta SERARIVM & MAYERVM, adfirmare non licet, cum videndi eius occaſio mihi nulla fuerit.

g) IAC. PHIL. BERGOMAS in *ſupplemento ſupplementi chronicorum* L. II. ad a. c. 833. Apud TRITHEMIVM inſcribitur *de patriarcharum benedictionibus.*

h) de reliquis, vbi etiam MSS. lateant, agunt ſcriptores citati CAVVS, SERARIVS, *Centuriae Magdeb.* TRITHEMIVS, MAYERVS aliique. Nobis prolixioribus hac in re non licet eſſe.

§. IX.

Praeter commentarios in ſcripturam ſacram RABANVS alios quoque nonnullos edidit libellos *ſacri* adhuc argumenti, quos in tres potiſſimum claſſes diſpeſcimus. Prima

Prima eorum eſt, quibus materiae ad theologiam dogmaticam, & controuerſiae eo ſpectantes ex inſtituto ſatisque prolixe tractantur. Ad alteram vero illos referimus omnes, qui moralia & doctrinas virtutum perſequuntur. De rebus denique ſacris & eccleſiaſticis claſſis librorum eius tertia agit. Ad primam claſſem pertinent igitur ſcripta RABANI *thetico - polemica.* Huius farinae varios ſubinde tractatus RABANO ab autoribus tributos reperi, editos tamen vix binos vidi. Primum locum teneat liber eius de *fide ſanctiſſimae Trinitatis* a). Sequitur dein tractatus *de euchariſtia* elegans b), *de modo praeſentiae*, c) *de corpore & d) ſanguine Domini*; de *praedeſtinatione* e), de *ortu & moribus f) anti-Chriſti*, de *ſignis naturae Chriſti* g) ſeu de *ſeptem ſignis natiuitatis Domini*; de *praeſtigiis magorum* h) & *diuinationibus falſis ac ſuperſtitionibus* ad BONOSVM abbatem. Eiusdem expoſitio de *paſchate & agno i) paſchali* non minus huc ſpectare videtur. Sed horum pauciſſimos cum ipſe hactenus videre potuerim, aliorum veſtigia, qua breuitate fieri potuit, ſequi oportuit.

a) ex quo excerpta quaedam lectu digna exhibent *centuriae Magdeb. centur. IX. cap. IV.* de *doctrina*, praeſertim col. 38. 42. 45.

b) Ex hoc non minus temnenda veritatis teſtimonia collegerunt *centur. Magdeb.* l. c. col. 42. 52. 72. Videtur conuenire cum epiſtola ad EGILONEM abbatem *Fuldenſem*, in qua puram de *euchariſtia* & orthodoxam doctrinam contra PASCHASIVM propoſuit, memoratam ab ipſo RABANO ep. ad HERIBALDVM, *de eo: Vtrum euchariſtia, poſtquam conſumitur & in ſeceſſu emittitur more aliorum ciborum iterum redeat in priſtinam formam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur*, ap. NATAL. ALEXANDR. diſp. XI. §. 2. p. 580. ſeq. quam tamen deperditam falſo dolet CAVVS, editam a MABILLONIO ad ſec. IV. Part. II. p. 591. vid. OLEARIVM *bibl. ſcript. eccl.* Part. 2. P. 112. Vel minimum eſt tractatus *de euchariſtiae ſacramento* ex CVTHBERTI FONSTALLI *Dunelmenſis epiſcopi bibliotheca* primum editus ap. IO. QVENTELIVM 1551. teſte eodem OLEARIO l. c. Hoc tamen mirum omnino videtur, SPANHEMIVM

MIVM ex profeſſo hanc controuerſiam recenſentem nullam eius mentionem inieciſſe.

c) vid. *centur. Magd.* col. 42.

d) ib. c. VI. *de ceremoniis* col. 132. Forſan RATRAMNI libro ſub eodem titulo ſcripto ac typis vulgato Colon. 1532. oppoſitus eſt hic RABANI tractatus pari rubrica notatus.

e) Videntur epiſtolae RABANI heic innui, quas de hac re ad HINCMARVM, NOTINGVM, EBERARDVMQVE ſcripſit contra GOTHESCALCVM, quasque iunctim edidit IAC. SIRMONDVS, Pariſiis 1647. in 8. vid. CAVVS.

f) exſtat T. VI. opp. p. 177. b. Summa eius haec eſt: dici, putat antichriſtum, quod ſemper vitia Chriſto contraria doceat. Oriturum Babylone ex tribu Dan ac per Hieruſalem ad Chriſti eccleſias penetrantem chriſtianis pariter ac Iudaeis ſibi ſociatis, magno cum terrore, miraculis ac muneribus regnum ſuum erecturum eſſe. Aduentum eius tum demum fore, cum praeceſſerit diſceſſio, & diſſenſerint omnia regna a *Romano*, cui prius ſubiecta erant. Ne autem omnes fideles pereant, monitis Enochum ac Eli aduentantes cauturos eſſe. Martyrium credentes paſſuros, antequam ira Dei antichriſtum hunc penitus eradicauerit in monte olíueti. Et hoc occiſo aliquandiu adhuc iudicium ſuum extremum differre Deum, numne ab antichriſto ſeductorum quidam reuerſuri ſint, nec ne?

g) vid. TRITHEMIVS.

h) harum diuinationum ac praeſtigiarum ſpecies recenſet, ac ex ſcripturis refellit T. VI. opp. p. 168. col. b. ſq.

i) CAVVS MSS. codicem huius libelli in *collegio* S. BENEDICTI exſtare teſtatur *Cantabrigiae* volumine CLXVI. quod ſuo iam loco, aliisque vlterius examinandum relinquimus.

§. X.

Scripſiſſe RABANVS vlterius tractatum dicitur, *de variis aduerſus iudaeos ſeu caeteros infideles vel plerosque haereticos iudaizantes ex vtroque teſtamento collectis quaeſtionibus* a). Genuinus ſit hic liber, nec ne, quaeri heic ſolet b). Doctiſſimi editores αὐθεντίαν libri omni niſu defendere ſtudent, quem ſub HRABANI c) nomine a ſe inuentum

tum eſſe contendunt. Non tamen inficias eunt, tinearum ac putredinis iniuria primum libri folium magnam partem periiſſe, HRABANIque nomen ab alio quodam recentiori, cui tamen libri huius autorem RABANVM eſſe, probe vel ex ruderibus, vel aliunde conſtitiſſet, denuo adſcriptum fuiſſe. At deſcriptorem exemplar corroſum non ſimul conſeruaſſe, merito dolemus, ex quo vel probabili quadam ratione lectionis ipſius veritas diiudicari, eoque ipſo dubium omne ſolui queat. Verba praefationis maximopere vrgent, HRABANO alias vſitata d); *ex libris*, ait, *maiorum meorum informatus opus meum condidi*; & paulo poſt *magis & ſalubre videbatur, vt humilitatem ſeruans ſanctorum patrum doctrinis inniteretur, quam per arrogantiam quaſi gloriam propriam quaerendo ſua indecenter proferret.* At PRVDENTIO TRICASSINO, GODESCALCO, LVPO SERVATO FERRARIENSI atque aliis quoque pluribus idem vſu receptum fuiſſe, quis ignorat? Leue, caeteris ſublatis, dubium foret, quod dicta patrum adlegata haud videantur, quod tamen HRABANVS alias facere conſueuerat. Nam non ipſa patrum verba, ſed eorundem ſenſum tantummodo adduxit. Et maxima lucubrationis pars ex ſolis ſcripturae dictis, eisque ad *Iudaeos* refellendos firmiſſimis, a *conuenientia* quippe *V. T. cum N. T. promiſſionum impletione* ac ſimilibus, ſumptis, compacta eſt. Neque tamen in his autores ſubſiſtunt, ſed potius catalogum ſcriptorum RABANI nullibi integrum haberi, pro ſententia ſua defendenda obtendunt, arbitrati, inter non e) recenſita hunc quoque tractatum referri debere. Quae de ſtyli tandem conuenientia addidere, ſuo quidem modo vera ſunt, at argumentum nimis lubricum eſt ex conuenientia

nientia f) ſola ad eundem auctorem concludere. Litem hanc dirimere non poſſumus, quibus MSS. videre non contigit; neque tamen prorſus virorum & doctrina & candore hactenus conſpicuorum fidem in dubium vocare audemus, qui manuſcriptum ſuis oculis viſum procul dubio examinaſſe creduntur, cum ſint criticae artis periti ſatis g).

a) Quem librum ex MSS. codice monaſterii S. SERGII & BACCHI *Andegauenſis DCC annorum* aetate inſigni non ita pridem edidere docti auctores *theſauri noui anecdotorum*, EDMVNDVS MARTENE & VRSINVS DVRAND, *presbyteri & monachi ord.* S. BENEDICTI *ex congregat.* S. MAVRI, T. V. col. 402.

b) recenſuerunt hunc tractatum *collectores antiquarum & recentiorum theologicarum rerum* ad annum MDCCXXI. Part. V. p. 779. his verbis: Dem RABANO MAVRO wird auch hier ein Tractat wieder die Jüden zugeſchrieben, davon aber die argumenta nicht zulänglich ſind.

c) Ante omnia tractatum ſuum diſtinguunt ab alio quodam ſub HRATGANI nomine in *codice monaſterii B. M. de Fontaneto ord. Ciſtert.* proſtante, quem PETR. FRANC. CHIFLETIVM cum ALCVINI confeſſione aliisque *opuſculis Diuione* 1656. ſub HRABANI nomine edidiſſe conſtat, quemque hactenus pro opere inſigni AMOLONIS *epiſcopi Lugdun.* ad CAROLVM CALVVM contra *Iudaeos* ſcripto, quam HRABANI, habere viri docti maluere. v. quae prolixe de hac re diſſeruit NATALIS ALEXANDER *hiſt. eccl. N.* T. ſec. IX. & X. Part. I. art. XIII. cap. III. p. 216. ed. 8. Obiter errorem quendam notare liceat in celeb. IO. CHRISTOPH. WOLFII *bibl. Hebr.* P. II. Lib. V. Sect. I. p. 998. Vbi, quo caſu neſcio, ſub HAMVLI ac deinde HRABANI nomine hunc CHIFLETII tractatum exſtare, miratus ſum, adlegato ſimul p. 1001. *theſauro* hoc *anecdotorum*, qui tamen HRATGANO illum diſerte vindicat.

d) col. 405. coll. 403. 404.

e) RODOLPHVS multa omiſit ſcripta; nec TRITHEMIVS omnia recenſere ſtatuerat. *Multa enim*, ait, *volumina ſcripſit, quae nos hic minime ſignauimus, de viris ill. ord. Bened.* L. 2. c. 39. & alibi: *Alia inſuper multa edidit, quae in notitiam meam non venerunt. Multa enim & alia ſcripſiſſe creditur, quae in cognitionis noſtrae ergaſtulum necdum peruenerunt,* in *vita* L. III.

f) Praeſertim easdem, quas in operibus inuenis, allegorias in hoc quoque tractatu adhibitas reperies. ſic col. 425. per *veſtimenta* intelligit *eccleſiam*, per *calceamenta Chriſti incarnationem*; & alia id genus plura deprehendes, cum quibus conferre iuuabit T. I. opp. p. 59. a. b. Adde allegorias de *lepra* c. LXVII. col. 540. ſqq. & quae col. 410. 411. *de fide, ſpe & charitate* dixit, collatis cum T. V. opp. p. 333. a. T. VI. hinc inde.

g) Nec ab hac ſententia abeſt WOLFIVS celebris Hamburgenſium Theologus l. c. p. 1001. *Genuinum vero*, ait, *Rabani librum aduerſus Iudaeos edidit non ita pridem EDMVNDVS MARTENE T. V. anecdotorum.*

§. XI.

De ſcriptis moralibus RABANI ordo ſuperius indicatus nos in praeſentiarum agere iubet. Equidem in ſcriptis ſuis hinc inde moralia perſequutus eſt HRABANVS noſter, at de his iam ſermo nobis non eſt; de iis potius, quae de materiis huc ſpectantibus ex profeſſo agunt, diſſerere conſtituimus. Praeter a) tractatum vero *allegoriarum* huc referri merentur libri eiusdem duo *de laudibus S. crucis.* Anno b) DCCCVI. ſcriptos eſſe, ex calculo antea a nobis probato ſequitur. Occaſionem eidem controuerſia *de adoratione imaginum* hoc adhuc ſeculo & proxime praecedenti magna animorum colliſione agitata, dediſſe videtur, aliis cultum earundem, nonnullis ipſas imagines reiicientibus, aliis contra cultu eos prorſus diuino venerantibus. Ipſe autem RABANVS vſum imaginum hiſtoricum haud reiicit, nec tamen adorat; ſed figuram crucis occaſionem ſuae deuotionis erga redemptorem a tergo collocat, & precans ad *Chriſtum* oculis directis ſupplex prouolutus iacet c). Magni d) ſemper aeſtimatum fuit hoc opus a viris literarum ſecreta amantibus, quippe magno labore ac arte confectum. S. MARTINO illud dedi-

 cauit

cauit *Turonum* f) patrono, a quo multa ſibi beneficia exhibita erant, GREGORIOque dehinc IV. deſtinatum ſucceſſori demum SERGIO dari poterat. g) LVDOVICO PIO *Imperatori* h) ac fratribus i) in coenobio S. DIONYSII martyris dicatum quoque legis, quamuis id *ſerius paulo factum eſſe* concedatur.

a) exſtat T. V. opp. p. 749. ex MSS. primum editus. Adde, quae ſuperius quoque de allegoriis RABANI alio inſtituto diximus.

b) Nam XXX. annorum cum eſſet, ſcripſit. Ita in *interceſſione ſub* ALBINI *perſona*:

Aſt vbi 6. luſtra impleuit, iam ſcribere tentans,
Ad Chriſti laudem hunc edidit arte librum,
Quo typicos numeros, tropicas & rite figuras
Indidit, vt dona panderet alma DEI.
Paſſio quid Chriſti mundo conferret honoris,
Qualiter antiquum vinceret & chelydrum,
Quod ſic venturum ſancti cecinere prophetae,
Ac libri legis grammate rite dabant.

Accedit ALCVINI anno 804. mortui ante obitum admonitio ſupra a nobis citata, cui RABANVM, quam primum fieri poterat, morem geſſiſſe, quis dubitaret. Certe iam operis initium ante 804. factum fuiſſe, ex his patet. Adde TRITH. *de viris ill. ord. Ben.* L. 2. c. 39. BARON. ad 843. AVENT. p. 241.

Recte hinc MABILLONIVS *ann. Bened.* T. II. L. 26. §. 53. p. 315. ad a. 894. ante annum 810. ſcriptos eſſe iudicat, quamuis annum aetatis haud determinet, & hinc 4. a nobis annis progrediatur.

c) v. fig. XXVIII. Lib. I. T. I. opp. p. 336. quam pace beneuoli lectoris integram heic exhibere voluimus, vt quae RABANI mens hac in controuerſia fuerit, facilius diiudicetur? Adiungi etiam verba curauimus, quibus vtitur ad Deum ſupplicans, ne quis ſibi, fraudem a nobis factam & ſententiam RABANO intentioni eius contrariam ſuppoſitam eſſe, perſuadeat. Ita autem verba ſe cum ipſa figura, iuxta exemplar noſtrum, qua fieri potuit, fide, expreſſa habent:

Cui



In verbis etiam prologi p. 279. *vt noſtram in ea redemptionem aſſidue cogitemus redemptorique noſtro inceſſanter gratias agamus*, monet. Indicat praeterea, quomodo haec crucis figura ad exercitium omnis virtutis excitare queat homines ac debeat.

d) conf. *teſtimonia de RABANO operibus* praemiſſa. *Opus mirabilis ingenii vocat TRITHEMIVS catal. vir. ill.* Et SIGEBERTVS GEMBL. *chronogr.* p. 562. *librum*, ait, *quem de laude S. crucis Chriſti figurarum varietate diſtinctum difficili & mirando poemate compoſuit, per ASCRIHVM & HRVODBERTVM monachos monaſterii Fuldenſis SERGIO Papae S. PETRO offerendum transmiſit.* Sequutus eſt in elaboratione methodum PVBLILII OPTATIANI PORPHYRII, qui *panegyricum* eodem genere dicendi in honorem CONSTANTINI AVGVSTI elaborauit. De quo dicendi genere MARCVS VELSERVS: *quod nulla crux vnquam conferenda ſit cum hac cruce & quod praeſens & certa peſtis ſit talia imitari velle* in ed. PORPHYRII ex MSS. codice PAVLI VELSERI *Auguſtae Vindel.* quamuis iam ante in *Auſtria* codex eius a IO. STABIO hiſtoriogr. Caeſ. repertus memoretur AVENTINO *annal. Boiorum* L. IV. p. 227. & MABILLONIO T. 2. L. 33. §. 2. p. 647.

e) Totam eius ſciagraphiam in compendio exhibet WIMPFELINGIVS in *prologo* p. 273. *In quo multa chriſtianae fidei myſteria, multos myſticos numeros, angelorum, virtutum, donorum, beatitudinum, elementorum, temporum, plagarum, menſium, ventorum, librorum Moyſis, huius nominis Adam & aliarum nobilium rerum vim & dignitatem, ſanctae cruci conuenire & adaptari poſſe demonſtrat, innectens verſum verſui, vt & figurae ſuos habeant verſiculos, quibus imagines diuerſae repraeſentantur, nec tamen legitimus ordo principalis carminis a ſuo curſu vel tenore abrumpitur, aut intercipitur, ita literae ipſae duplici plerumque ordini quadrant. Poſt quodlibet etiam carmen ſolutus ſequitur ſermo verſuum admirandam profunditatem dilucide explanans.*

f) v. quae docte huc notauit CHRISTOPH. BROWERVS *poem. de diuerſis* T. VI. opp. p. 202. & *ſchol.* p. 234.

g) v. l. c. plura. Factum hoc demum eſſe anno 844. adſerunt *annales PITHOEI* ad h. a. *annales Franc. Fuld.* ad h. t. p. 26. & ſcriptores reliqui. Quamuis anno a reliquis diſtet PETR. BIBLIOTHECARIVS *hiſt. Franc. abbreuiat.* ap. du CHESNE T. III. p. 542. qui ad a. 845. refert. GREGORIO hinc, cum in itinere eſſent legati, mortuo, SERGIO demum ſucceſſori opus traditum fuit.

h) v. GVIL. EYSENGREIN *catal. teſt. verit.* aliique.

i) tenorem huius dedicationis ap. MABILLONIVM legere licet, ad 804. L. L. 27. n. 27. p. 367. *ann. Bened.*

§. XII.

§. XII.

Ad BONOSVM abbatem direxit tractatum *de videndo Deum, de puritate cordis & de modo poenitentiae* libris III. comprehenſum a). Scripſit de *VIII. vitiis principalibus, eorumque origine ac remediis, capitibus XVII. de virtutibus ſanctorum & laude earum, de grauibus mortalibus peccatis, eorumque ſatisfactione capitulis LXXXIV.* b). Eius generis tractatus videtur eſſe, quem *de coeleſti immortalis Imperatoris nota* ad AVGVSTVM LVDOVICVM c) elaborauit. Pertinent huc etiam omnes RABANI *homiliae*, quarum magnum edidit apparatum COLVENERIVS inter opera d). Plus tamen laudis ſanctorum, quam doctrinae morum veſtigia in iis expreſſa inuenies, niſi exempla virtutum explicaſſe in illorum perſona dicatur. De *reuerentia filiorum erga parentes*, & *de anima* ſcripſit f). *Epiſtola vero conſolatoria ad LVDOVICVM PIVM* edita hactenus nondum eſt g).

a) T. VI. opp. p. 85. ſq. tractatus omnino elegans, ex quo ſub finem ſpecimina quaedam adhuc dare decreuimus, vt ſciat lector, nec hoc aeuo morum doctrinam prorſus obſoleuiſſe.

b) Quos tamen libros ab aliis HALITGARIO *epiſcopo Camerac.* attributos eſſe, memini. vid. NATALIS ALEXANDRI *hiſt. eccl.* ſec. IX. X. P. II. diſp. XI. p. 579. Apud CANISIVM ac in *bibliotheca maxima patrum* ſub HALITGARII nomine exſtare, quoque GVIL. CAVVS adfirmat.

c) AVENT. *ann. Boi.* L. IV. *p.* 227. ita de eo ait: *Scripſiſſe RABANVM ad LVDOVICVM Auguſtum de coeleſti immortalis Imperatoris nota carmen inſigne, in quo aemulatus ſit PORPHYRIONEM*, (forſan Porphyrium) *qui ad CONSTANTINVM maximum idem factitauit, cuius D. HIERONYMVS non ſine laude mentionem facit. Literae carminum ſingulae ita compoſitae ſunt ſeparatim, vt calces, media, capita verſuum ſurſum deorſum in orbem quoque lecta, quoquo verſum metra referant.*

d) T. V. circa fin. Celebrantur paſſim *homiliae de omnibus ſanctis*, occaſione, ni fallor, feſti huius nouiter ad diem IV. cal. nouembris celebrare a GREGORIO IV. ſtatuti. v. WERNERI ROLEWINCKII *faſcic. temp.* ad a. 844. & ſcriptores coaetaneos. *Homilias LXI. ſuper euangelia & epiſtolas* a natali die vsque ad vigilias paſchae ſcriptas HAISTVLPHO

N 3 tradit

tradit 826. mortuo. Quas deinde continuauit vſque ad XIV. dominicam poſt pentecoſten homilis XCI. de *tempore & ſanctis* agentibus ac *Imperatori* LVDOVICO traditis.

e) ap. BALVZIVM de *concordia ſacerdotii & imperii* rec. editioni hoc opus adiectum eſſe, ex MABILLONIO didici. v. *ann. Bened.* ad 834. T. II. L XXXI. §. XXI. p. 564.

f) continet praeter deſcriptionem phyſicam ἀςρολογίαν quandam. Hinc GVIL. CAVVS ita inſcribit: *de anima & virtutibus ad LOTHARIVM regem.* Male diſtinxit hunc tractatum in duos diuerſi tenoris SERARIVS *rerum Mogunt.* L. IV. arch. VI.

g) poſtquam a calamitate, quam perſecutores filii inflixerant, iterum liberatus eſſet. vid. MABILLONIVS l. c.

§. XIII.

Nec minus celebrantur ſcripta HRABANI, quibus de rerum eccleſiae ſui temporis ſtatu commentatus fuit, de quibus nunc dicendi locus eſt. Et res quidem eccleſiaſticas latius heic accipimus, ac eo ſenſu, quo faciem eccleſiae, iura, perſonas, ceremonias, tempora, loca, diſciplinam, & id genus alia in ſe complectuntur, quae ad conſtitutionem, emendationem, ac decus eccleſiae ſpectant. Quae huc pertinent, admodum multa a RABANO attingi vides. Quanta eius in his rebus adcurata fuerit cura, iam parte I. laudauimus, vbi de rebus in conciliis *Moguntiacis* feliciter actis diſſerendi fuit occaſio. Hic de ſcriptis agimus, ex quibus iam dicta vlterius cognoſci poſſunt. Prae reliquis nominamus tractatum, quem DCCCXIX, a) *de Inſtitutione clericorum* b) libris III. ad HAISTVLPHVM c) *Moguntinum archiepiſcopum* ſuum, complexus eſt. d)

a) v. carmen pec. ad HAISTVLPHVM his libris praemiſſum inter *poemata de diuerſis* p. 231. a.

Nam eſt nonus & decimus octingenteſimus annus,
Ex quo ſaluator venit in arua pius.

b) occa-

b) occaſionem ſcripti a ſe tractatus ipſe in *praef.* ſuppeditat: *Quaeſtionibus ergo diuerſis fratrum noſtrorum & maxime eorum, qui in ſacris ordinibus pollebant, reſpondere compellebar, qui me de officio ſuo, & variis obſeruationibus, quae in eccleſia Dei decentiſſime obſeruantur, ſaepiſſime & interrogabant, & aliquibus eorum dictis, aliquibus vero ſcriptis, prout opportunitas loci ac temporis erat, ſecundum authoritatem & ſtylum maiorum ad interrogata reſpondi, ſed non in hoc ſatis eis facere potui, qui me inſtantiſſime poſtulabant, imo cogebant, vt omnia haec in vnum volumen congererem, vt haberent, quo aliquo modo inquiſitionibus ſuis facerent ſatis & in vno codice ſimul ſcriptum reperirent, quod antea non ſimul, ſed ſpeciatim ſinguli, prout interrogabant, in foliis ſcripta haberent.*

c) praemiſſa eſt ad *fratres Fuldenſes* epigramma ac paraeneſis dedicatori p. I. T. VI. quorum petito hoc opere ſe ſatisfeciſſe adſerit, & de contentis quoque operis praecipuis agit.

- - - - - - - - - - Eſt fas
Intentis fratres diſcere verba Dei.
Quid mandet dictis, quid factis indicet ipſis:
Quae codex geminis continet ille ſuis.
Quid celebrando piis ſignet clariſſima Chriſti
Sponſa ſacramentis, & ſtudiis variis.
Namque popoſciſtis haec vobis reddere ſcriptis.
Exhibui paruis haec tribus ipſe libris.
Quid cultura velit, gradibus quid nuntiet almis,
Quid prece, quid feſtis ſancta Dei eccleſia.
Dogmata quae cunctis pia diſcere quaeue docere,
Condecet ordinibus myſtica dicta Dei.

c) Si MABILLONIO fidem habere licet, exemplar eius geminum adhuc aſſeruatur in *bibliotheca regia*, annorum DC & DCCC aetate ſplendidum. *ann. Ben.* ad 819. Tom. II. Lib. 28. §. 95. p. 455.

§. XIV.

HALITGARIO meliori, quam RABANO, iure, tribuitur tractatus de *quaeſtionibus canonum poenitentialium* a) *ad HERIBALDVM*, libris tribus conſtans. At tractatus ad OTGARIVM DCCCXLI. ſcriptus, ſeu *poenitentium liber XL.* b) *capitulis* abſoluitur, & RABANVM auctorem agnoſcit. Pertinet huc etiam eiusdem *reſponſum* c) *ſuper quibusdam*

buſdam interrogationibus REGINBALDI chorepiſcopi, cum opuſculo d): *Si liceat chorepiſcopis presbyteros & diaconos ordinare cum conſenſu epiſcopi ſui.* Quis ſit liber *de diuinis officiis*, e) nullibi ſpecialius indicatum legi. Ad THIOTMARVM contra, quem collegam in S. miniſterio f) elegerat ſibi, librum *de S. ordinibus, ſacramentis diuinis, & veſtimentis ſacerdotalibus* ſcriptum eſſe, conſtat; ſicut ad REGINALDVM de *diſciplina eccleſiaſtica* g) libri III. adhuc editi ſuperſunt. De *peccatorum ſatisfactione* agit tertius librorum, quos de vitiis ac virtutibus, nec non de *peccatorum ſatisfactionibus in remediis, ſeu de poenitentiis* inſcripſit. *Epiſtola* quadam ad HVMBERTVM, *quota generatione licitum ſit connubium*, expoſuit, nec minus libro ad BONOSVM de *conſanguineorum nuptiis* materiam hanc perſequutum eſſe, ſcio. *Commentario* in *regulam* S. *BENEDICTI*, quid faciendum ſit monachis, & quae omnium actionum monaſticarum, myſtica ſit ratio, prolixe admodum interpretatur. Filios monaſticae diſciplinae ſemel traditos, perpetuo hoc ſuo voto obligari, nec liberari ab eodem poſſe contra GODESCALCVM peculiari tractatu de *oblatione puerorum* h) demonſtrare conatus fuit. Libros de *computo* & *chorepiſcopis* a BALVZIO i) editos non vidi. De *conciliis* k) denique an ſcripſerit peculiarem librum, & vbi lateat, hactenus ignoro.

a) Quamuis cum ſequente id tractatu conferat SERARIVS; titulus ap. eum hic eſt: *De quaeſtionibus canonum*, ſeu *poenitentium* liber, ad OTGARIVM archiep. Mog. ed. Colon. & Venet. In *bibl.* vero *maxima patrum* ac ap. CANISIVM exſtat ſub HALITGARII *Camerac. epiſc.* nomine. v. NAT. ALEX. P. II. p. 579.

b) GVIL. CAVVS ita differit: *De quaeſtionibus canonum poenitentialium libri III. ad HERIBALDVM prodierunt a STEVARTIO editi in auctario Caniſiano.* Ingolſt. 1616. Hinc ſatis euidenter a praecedenti opere diſtinguit, quamuis in hoc errauerit, quod XXIX. capitibus abſolutum eſſe, credat, cum conſtet XL. Continentur hoc libello regulae de miniſtris eccleſiae, ſi deuiauerint, cum adiuncta ISIDORI ad MAS-

SONEM epiſc. *de reſtauratione ſacerdotis* epiſtola. Liber ſecundus agit de poenitentiae ſatisfactione, tertius de poenitentiis denique laicorum.

c) exſtat in *adpend. concil. gen.* PHIL. LABBEI & GABR. COSSARTII S. I. P. T. VIII. col. 1845.

d) ib. col. 1852.

e) TRITHEMIVS eius mentionem iniecit, & cum alii taceant, videtur conuenire cum tractatu *de officiis eccleſiaſticis*, quem ex ISIDORO, AVGVSTINO & GREGORII *paſtorali* ad verbum deſcriptum eſſe WILLIELMVS MALMSBVRIENSIS audacter adſeruit, quippe cuius nec alibi mentionem fuiſſe factam, memini. Vbi tamen iam lateat, pariter neſcio.

f) vt, cum iunior adhuc eſſet, & corpore validior, omnia aliis praecipere ac loco RABANI iam aetate infirmi exponere poſſet, quae neceſſaria ſunt, ſi quis ad ſacerdotium ordinandus erat. v. *praef.* T. VI. opp. p. 50. a.

g) *qualis debeat eſſe conuocatio adhuc foris poſitorum*, paganorum, *ad percipiendam fidem Chriſti, qualisque fieri acceſſus poſt perceptam iam fidem ad accipiendam ſacri baptiſmatis regenerationem & ſacramentorum diuinorum ſanctificationem, ſcireque doctrinae S. rationem & conſeruare veraciter chriſtianam religionem. Vnde primum doctorem ipſum de officio ſuo & eruditione inſtituens, conſequenter de inſtruendis rudibus in fide Chriſti ſermonem facere ſtatuimus. Deinde, quomodo oporteat per praedicationis officium iam conuocatos catechumenos facere, & baptiſmate Chriſti abluere, ſacramentisque diuinis confirmare, & in fidei veritate corroborare, poſthaec quoque, quomodo ipſos chriſtianos catholico dogmate erudire atque eccleſiaſtica diſciplina corrigere, in militiaque Chriſti conſtitutos, qualiter eos cum virtutibus contra vitia pugnare & vſque ad finem vitae in ſtudio bonae conuerſationis perſeuerare conueniat, prout Dominus donauerit, pandere curabimus.* v. *praef.* T. VI. p. 60. a. Ex quibus de ſcopo huius libelli & contentis ſatis patere poterit.

h) v. RODOLPHVS in *vita* RABANI, & MABILLONIVS, qui ipſum edidit *ann. Ben.* T. 2. append. L. I. p. 726. Adde, quae de reipſa diximus parte I. §. XIV. not. b.

(i illum in *miſcell.* T. I. p. 1. ap. GVIL. CAVVM; hunc vero in editione PETR. de MARCA de *concordia ſacerdotii & imperii*, quae prodiit Paris 1669. fol. T. I. p. 285. CAVVS. Ex quo haec adduxiſſe nobis ſufficiet, donec ipſis libros hos euoluiſſe licuerit.

k) BARONIVS certe adfirmat, ſcripſiſſe noſtratem peculiarem de conciliis tractatum. Ita enim, *hactenus*, ait, *de ordinis facta diſpoſitione RABANI opera, qui in ea facultate plurimum noſcitur laboraſſe, quem de*

conciliis ipſum conſtat ſcripſiſſe volumen, annal. eccleſ. T. X. ad 847. num. XXVI. col. 56.

§. XV.

Altera librorum HRABANI claſſis illos exhibet, qui argumenta ciuilia ac prophana tractant. Latiſſime heic res ciuiles ſumi, denuo monendum eſt, ante quam ad rem ipſam progrediamur. Omnia, videlicet quae ad praecedentes claſſes reduci non potuerunt, hoc nomine complecti liceat. Huc refero tractatum de *vniuerſo*, quem exul a) ſcripſiſſe videtur. Conſtat libris XXII. LVDOVICO Germaniae regi dicatis. In illis a Deo initium faciens, rerum naturalium, moralium, theologicarum, politicarum, immo omnium, quaecunque in vita communi occurrunt, naturam ac indolem indicare ſtudet b). Hiſtoriam dein ac indolem rerum quarumuis recenſitam ſenſu myſtico ad res ſpirituales non ineleganter adplicat. c). Nec inuita, quod dicunt, *Minerua* ſcripſit abhinc *excerptionem de arte PRISCIANI grammatica.* Videtur in vſum auditorum ſuorum a RABANO elaborata; vt vel docendo, vel repetendo ac diſcendo inſeruiret. Vocum, ſyllabarum, literarumque naturam libro I. ex ſcriptorum veterum, poetarum maxime libris ita exponit, vt ſi partem II. de vi ac varia poteſtate metrorum adieceris, mirum cuiquam videri queat, adeo tum verſatum in veterum lectione RABANVM eſſe potuiſſe.

a) Ita in *ep.* ad HEMMONEM praemiſſa: *Poſtquam me diuina prouidentia ab exteriorum negotiorum cura abſoluit, teque in paſtoralis curae officium ſublimauit.* Haec perpendentes non dubitamus NATALI ALEXANDRO fidem habere, qui a. 844. ſcriptum eſſe, putat. l. c. p. 579.

b) agit

b) agit de Deo ac trinitate, angelis, hominibus, eorumque nominibus ex praeſagio ortis, de patriarchis, nominibus foeminarum iu V. T. de prophetis, perſonis N. T. euangeliſtis, apoſtolis, martyribus, de ecclesia & ſynagoga, religione & fide, de clericis, monachis ac caeteris fidelibus, de haereſibus, praeſertim inter Iudaeos, de ſchiſmate, de definitionibus rectae fidei & eccleſiaſticorum dogmatum, de ſacramentis diuinis, exorciſmo, ſymbolo, oratione & ieiunio, poenitentia, ſatisfactione & exomologeſi, de V. & N. T. eorum auctoribus, contentis: de bibliothecis, opuſculorum varietate, canonibus euangeliorum, conciliorum, cyclo paſchali, officiis canonicis, ſacrificiis, de homine eiusque partibus, aetatibus, proſapia, de ordinibus filiorum, agnatis & cognatis, coniugio, morte, portentis, pecoribus, mundo, plagis eius, atomis, elementis, coelo eiusque phoenomenis, de temporum natura & diſtinctionibus, aquis, terra, aedificiis, agris, menſuris, itineribus, de philoſophis & diis gentilium, linguis, vocabulis gentium, regum, de lapidibus, gemmis, ponderibus, cultura agrorum & fructibus, bellis, aedificiis, menſis, eſculentis, vaſis, candelabris, ſellis, lectis, vehiculis & id genus aliis non minus copioſe diſſerit. Ex his igitur vel leuiter & vix quartam partem quoad potiora momenta enarratis, quaenam huius libri ſit conditio, lector iudicare poterit.

c) Eundem hunc tractatum nonnunquam allegare ſolent, de *proprietate verborum & rerum.* Ita ap. TRITHEMIVM, *centuriatores Magdeburgenſes* aliosque plures legi. Eſſe autem hunc de vniuerſo tractatum, vel ex *praef.* ad LVDOVICVM *regem* patet: *Nuper quoque, quia vos, quando in praeſentia veſtra fui, compertum vos habere dixiſtis, aliquid opuſculum me nouiter confeciſſe de ſermonum proprietate & myſtica rerum ſignificatione.* conf. niſi graue fuerit aliquot loca hinc inde allegata, & conuenientiam apertius adhuc deprehendes.

§. XVI.

Tractatum de *naturis rerum* a) nondum vidi, aeque ac *carmen heroicum* b) *de rebus geſtis* LOTHARII, CAROLI & LVDOVICI, librum *de origine rerum*, c) *vitam S. CATHARINAE*, d) *excerptum* de *diuerſis auctoribus*, ex *epiſtolis Hieronymi* e) de *diſciplina Romanae militiae*, f) de *vniuerſali natura* apud TRITHEMIVM. Caeterum liber de *anima*, g) *gloſſae latino-barbaricae*

h) de

h) de *partibus humani corporis*, de *inuentione linguarum ab hebraea uſque ad theotiſcam, nec non martyrologium* i) adhuc hodie exſtant.

a) libros V. *de naturis rerum* noſtratem ſcripſiſſe, ex PAMELII *praef.* ad L. III. de *ſpectaculis* probauit SERARIVS l. c. adde TRITHEMIVM.

b) MSS. eius in *bibliotheca* LAZII exſtare, SERARIVS pariter adſeruit.

c) idem MSS. in *biblioth. Caſinenſi* exſtare docet.

d) MSS. poſſediſſe MOLANVM ex eodem didici.

e) Vtriusque MSS. vidit SERARIVS *Fuldae.*

f) ex FLAVII VEGETII RENATI libello de *antiquiſſimis Romanis* excerpta haec capitula, & tractatui de *anima* annexa fuiſſe, ipſe RABANVS teſtatur in *praef.* ad LOTHARIVM regem. COLVENERIVS tamen illa fruſtra quaeſiuiſſe ſe, dolet, T. VI. opp. p. 137. b. marg.

g) expoſitis animae proprietate, nomine ac definitione, origine, forma, ſubiecto, ac ſede, dein ad virtutes morales progreditur, & quid ſit virtus oſtendit, agit denique de ſtatu & poſitione corporis, ac ſenſuum officiis.

h) WALAFRIDVS STRABVS nobis hunc tractatum edidit, prout illum ex ore praeceptoris ſui exceperat. Exſtat vterque tractatus T. VI. opp. p. 331. ſq. & in MELCH. HAIMINSFELDI GOLDASTI *ſcriptorum rerum Alemann.* Francofurti 1606. editorum T. II. P. I. p. 89.

i) hortatu RATLEICI *abbatis Seligenſtad.* per menſium ſingulos dies diſpoſuit memorias ſanctorum martyrum ac confeſſorum nominis Ieſu. Codex operis MSS. 1603. in *biblioth. monaſterii S. Galli in Heluetia* inuentus exſtat opp. T. VI. p. 179. & cum, RATLEICVM circa 851. diem obiiſſe ſupremum, conſtet, recte circa haec tempora ſcriptum eſſe hunc librum, exinde concluſit MABILLONIVS *ann. Ben.* T. III. ad 851. Lib. 34. §. 34. p. 16. qui *epiſtolam* quoque *nuncupatoriam* ad RATLEICVM ſeruauit T. IV. *analectorum.* Idem dein opus GRIMOLDO abbati huius monaſterii ac LVDOVICI *regis archicapellano* dicatum ac ab hoc ſeruatum fuiſſe, idem MABILLONIVS docet. ANTONIVS vero POSSEVINVS *appar. S.* T. II. teſtatur, idem opus ab HENR. CANISIO editum iam fuiſſe T. VI. *antiqu. lect.* Confer etiam I. A. FABRICII *bibl. Graec.* L. V. P. V. c. 32. Vol. IX. p 37. qui a. 845. ſcriptum eſſe, putat.

§. XVII.

Et haec potiora ſunt momenta, quae de ſcriptis RABANI pro inſtituti praeſentis ratione monenda fuere

re

re. Ex multitudine lector, quam felicis noſter ingenii fuerit, abunde cognoſcit. Quid autem in iis bene, maleue dictum ſit, in ſequentibus adhuc paucis expedire decreuimus. Vnicum adhuc, ante quam ad alia nos couuertamus, monendum reſtat de *epiſtolis* RABANI, quarum hinc inde fit mentio. Sic vbi lateant *epiſtolae* ad HADVBRANDVM a) *archipresbyterum*, *ad* PASCHALEM papam de *priuilegio* b) *coenobii Fuldenſis*, ad HATTONEM c), ad *epiſcopum quendam* d), ad SIMONEM *magnum* e) *ſacerdotem, aliaeque* multo f) plures, ignoro. Interim magnam nobis hinc inde lucem accendere poſſent, ſi, vbi inueniri queant, conſtaret; quod vel vnico exemplo epiſtolae ad HATTONEM & OTGARIVM in cauſa GOTHESCALCI a voto monaſtico abſolui cupientis ſcriptae abunde demonſtrari poteſt. Et haec de ſcriptis RABANI potioribus dixiſſe ſufficiat.

a) excerpta ex illa quaedam dant *Centur. Magdeb.* c. IV. col. 46. 77. 86. & paſſim alibi.

b) ib. cap. X. col. 314.

c) col. 15.

d) col. 51. 95. 97.

e) col. 94. 95.

f) ad BONOSVM abbatem ib. col. 44. 37. 34 56. 64. 98. ad HVMBERTVM, col. 40. 35. 37. 51. 53. 92. ad OTGARIVM col. 37. 55. 88. ad *abbatem* quendam col. 36. 25. ad REGINBALDVM *chorepiſcopum* col. 34. 35. 75. ad REGINHARDVM *chorepiſcopum* col. 56. 64. 92. LVDOVICVM *Imperatorem* col. 70. BRVNWARDVM *abbatem*, cap. V. col. 115. atque aliae alibi forſan memoratae, quae viſum legentis ſubterfugere facile potuerunt. Vt iam nihil commemorem de iis, quas praefationis loco hinc inde eius ſcriptis praemiſſas adduximus. Huc etiam referri merentur, quae de epiſtolis antipraedeſtinatianis ſuo loco diximus, & aliae eius indolis multae.

f) Sectione II. exempla nonnulla dari poſſent, ſi, quae *cent. Magdeb.* de doctrina admodum concinne dicta ex iis conſeruarunt, repetere iuuaret. E quibus interim lacunam hanc lector ſupplere haud grauabitur.

§. XVIII.

§. XVIII.

His igitur ad finem huc vsque perductis, nil ſupereſt amplius, quam, vt de ipſa *doctrina* HRABANI, quantum inſtituti ratio patietur; adiiciamus, quo tandem abſoluto ſupra promiſſis ſatisfeciſſe videbimur. Hanc vero RABANI doctrinam expoſituris praeter ſuperius obſeruatam iam diſtinctionem, qua in veram & erroneam diſpeſcebatur, noua nunc, aliaque diſtinctio praemittenda venit, ante quam ipſam rem aggrediamur. Alia enim concernunt capita religionis theoretica qua ratione pertinent ad theologiam dogmatico-polemicam: alia mores formare ac vitia euitare docent; rurſus denique alia ſunt, quae res illius aeui ſacras, ceremonias, diſciplinam, perſonas, conſuetudines, loca, tempora aliaque huc ſpectantia tractant. At hac quidem ratione multum pollicemur lectori, quod diſputationis noſtrae cancelli capere aegre poſſunt; nihilo tamen ſecius, vt decenti breuitate omnia, quae momentum habere videntur, quaeque vſui atque neceſſaria ſunt, inutilibus ac ſuperfluis reſectis, conuenienti ordine exhibeamus, eſt, in quod omnes animi neruos viresque intendimus. Si euentus voluntati non vbique reſpondeat, humanae indolis memor ſit lector, atque errores beneuole condonet. Non enim omnia poſſumus omnes ac ſimul.

§. XIX.

Inter dogmata igitur HRABANI, vt ordine ſemel conſtituto progrediamur, primo ſe loco nobis illa ſiſtunt, quae ad theologiam, ni fallor, thetico-polemicam

micam referri haud incommode poſſunt. Symboli vicem gerere poſſunt eiusdem confeſſiones potiſſimum tres, in quibus praecipuos fidei articulos decenti ordine & adcuratione complexus eſt. Huc referri debent eiusdem *definitiones rectae fidei & eccleſiaſticorum dogmatum*; a) *regula fidei* b), & *de fide catholica rhythmus* c) Haec ſymbola ipſius in indicandis dogmatibus ſpecialibus fundamenti loco ſternimus, quaeque in iis paulo obſcurius expreſſa ſunt, ex clarioribus locis dilucidare paramus. Omnia enim ita heic adduci, quibus doctrinae diuinae ac etiam erroneae propagatio per hoc ſeculum admodum luculenter pateſceret, temporis ac inſtituti ratio haud permittit; quemadmodum & iterata rerum earundem expreſſione lectori taedium excitare dubitamus.

a) de *vniuerſo* L. IV. c. X. T. I. opp. p. 86. b. ſqq.

b) de *inſtit. cleric.* L. III. cap. LVII. p. 31. b. ſq.

c) inter *poemata de diuerſis* T. VI. opp. p. 209. b. ſq.

§. XX.

De *religione* generatim ea docuit, quae omni ex parte cum orthodoxa fide amice conſpirant. Notitiam Dei ex creaturarum contemplatione ortam a) religionis quidem naturalis fundamentum eſſe, differit, reuelatae b) vero fontem eſſe diuinam ipſius Dei gratiam. Ipſius vero cultus diuini rationem c) tribus potiſſimum momentis abſolui credit; *fide*, ſcilicet, *ſpe* ac *charitate*. *Scripturam* omnibus legendam, d) perfectam, e) ac perſpicuam f) eſſe docet, ita vt regula fidei ex locis clarioribus fieri queat, ex qua deinceps loca

loca obſcuriora g) dilucidari, & articuli fidei abunde probari h) queant. Verſionem vulgatam i) ab Hieronymiana diſtinctam eſſe dicit, & integram nobis ſcripturam a Iudaeis k) ſeruatam fuiſſe, adfirmat. Libros canonicos omnes illos l) vocat, quos in eccleſia legere licet. Quamuis *ſapientiae*, *eccleſiaſtici*, *Iudithi*, *Tobiae* ac *Maccabaeorum* libros alibi m) apocryphis accenſeat. *Epiſtolam* ad *Ebraeos* n) pro canonica quidem habet, at à Paulo ſcriptam eſſe dubitat. Nec etiam in reliquis huc pertinentibus a communi doctrina eccleſiae noſtrae recedit o).

a) *Notitia Dei manifeſta eſt ex mundi fabrica, vt enim Deus, qui natura inuiſibilis eſt, etiam viſibilis poſſit ſciri, opus factum ab eo eſt, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum incertum poſſit ſciri, vt per hoc, quod caeteris impoſſibile eſt, ille eſſe Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit, ita vt ſint inexcuſabiles, quia, quem eſſe & operari ad vtilitatem ſuam non ignorarent. Ea enim, quae humanis vſibus euoluto anno gignuntur, ipſum decreuiſſe, nulli in dubium venit.* v. *comm. in lib. Sapientiae* L. III. c. II. p. 383. F. Adde *comm. in epiſt. Pauli* L. I. c. I. p. 177. tot.

b) *Non parua ex parte ſcit atque intelligit Deum, qui intelligit & ſcit etiam, hoc ſibi a Domino dari, vt intelligat & ſciat Deum*, in *lib. reg.* L. I. c. II. T. 3. p. 49. b.

c) *Tria ſunt autem, quae in religionis cultu ad colendum Deum in hominibus requiruntur, i. e. fides, ſpes, charitas. Fides eſt, qua veraciter credimus, quod nequaquam videre valemus. Nam credere iam non poſſumus, quod videmus. Proprie autem nomen fidei inde dictum, ſi omnino fiat, quod dictum eſt, aut promiſſum, & inde fides vocata ab eo, quod fiat illud, quod inter vtrosque placitum eſt, quaſi inter Deum & hominem. Hinc & foedus. &c. de vniuerſo*, L. IV. c IV. T. I. opp p. 84.

d) *Inſpiratam* eſſe, ſupponit plerumque. Nihilo tamen minus T. III. opp. p. 13. *Quid*, inquit, *habeat in ſe iſta ſcriptura, quam ſine dubio & ipſam inſpiratam diuinitus confitemur, quod nobis ad doctrinam cedat, quod ad increpationem, quod ad diſciplinam, quod ad iuſtitiam, comm. in Iudicum* L. I. Omnibus autem legendam eſſe, ex profeſſo ſibi probandum ſumſit *comm. in regul. S. Bened.* T. VI. p. 278. b. rationem adiiciens.

ciens. *Nam cum oramus ipſi, cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur* & iterum: *Nemo enim ſenſum ſcripturae pleniter cognoſcere poteſt, niſi aſſidue legendo, aut audiendo eius familiaritatem habuerit.* & *comm. in lib. regum* L. I. p. 56. D. *ſententias* ſanctarum *ſcripturarum congerit, quatenus hoſti nefandiſſimo earum protectione muniti viriliter reſiſtere valeant.* Epiſcopis praeſertim aſſidue legendam eſſe monet *praef.* ad HEMMONEM ante libb. de *vniu.* p. 53. Hinc ad epiſcoporum quoque menſas legere eas praecipit lib. *poenitentium* cap. 28. p. 162. T. VI. H. *in omni ſacerdotali conuiuio lectio ſcripturarum diuinarum miſceatur. Per hoc enim & animae aedificantur ad bonum & fabulae non neceſſariae prohibentur.* De modo autem ſcripturam ſacram legendi integro capite VI. L. III. de *inſtit. cleric.* agit T. VI. p. 36. & cap. VII. p. 37. a.

e) *In his, quae aperte in ſcripturis poſita ſunt, inueniuntur illa omnia, quae continent fidem, mores viuendi, ſpem ſc. & charitatem, cum vero &c.* Hinc nihil ei addendum vel detrahendum eſſe iudicat L. IV. in *eccleſiaſt.* c. VII. p. 435. b. *In meditando ergo & in legendo ſcripturas S. debemus eſſe cauti, nec quid adiicere ad ea, quae ſcripta ſunt, nec demere aliquid ab eis, quae ab authoribus diuinarum ſcripturarum in libris comprehenſa ſunt, ſed ea cum ſumma veneratione habere, quae ibi inueniuntur, & omni niſu adimplere, quae ibi praecepta ſunt.*

f) de hac L. II. c. LVII. *inſtit. cleric.* p. 31. b. agit prolixe. *Haec eſt autem poſt apoſtolicum ſymbolum certiſſima fides, quam doctores noſtri tradiderunt —— Quod noui & veteris teſtamenti ſalubris commendat authoritas, illa per prophetiam, iſta per hiſtoriam veraciter perſoluta. —— Sed in vtroque teſtamento diuina proteſtantur eloquia, hoc tantummodo ſentiendum*, & p. 32. a. *de qua ſi vnum quodlibet reſpuatur, tota fidei credulitas amittitur.* & L. III. c. VII. p. 37. a. *Deinde illa, quae in eis aperte poſita ſunt vel praecepta viuendi, vel regulae credendi, ſolertius, diligentiusque inueſtiganda ſunt, quae tanto quisque plura inuenit, quanto eſt intelligentia capacior. In his enim, quae aperte in ſcripturis poſita ſunt, inueniuntur illa omnia, quae continent fidem, mores viuendi, ſpem ſc. & charitatem. Cum vero facta quadam familiaritate cum ipſa lingua diuinarum ſcripturarum, in ea quae obſcura ſunt, aperienda & diſcutienda pergendum eſt, vt ad obſcuriores locutiones illuſtrandas de manifeſtioribus ſumantur exempla & quaedam certarum ſententiarum teſtimonia, dubitationem certis auferant.*

g) L. III. *inſtit. cleric.* c. III. p. 35. b. *magnifice ergo & ſalubriter ſpiritus S. medicauit, vt locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. Nihil autem fere de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur.*

h) *Quapropter neceſſe nobis eſt, ſcripturas ſacras in teſtimonium vocare. Sen-*

ſus quippe noſtri & enarrationes ſine his teſtibus non habent fidem L. I. *comm. in Hierem.* c. I. p. 6. b.

i) *Sicut etiam eſt vulgaris illa interpretatio, cuius autor non apparet, & ob hoc ſine nomine interpretis quinta editio nuncupatur. —— presbyterque HIERONYMVS trium linguarum pariter* (forſan peritus) *ex Hebraeo in latinum eloquium easdem ſcripturas conuertit, eloquenterque transfudit. Cuius interpretatio*, ordine octaua, *merito caeteris antefertur, nam eſt & verborum tenacior, & perſpicuitate ſententiae clarior; de vniuerſo* L. V. c. IV. p. 95. b. De verſione in linguam *theotiſcam* iam ſuperiori parte diximus, ſicut etiam ſupra de *gloſſario latino - theotiſco* actum eſt.

k) *Quid enim aliud hodie gens ipſa*, Iudaea, *niſi quaedam ſcriniaria chriſtianorum, baiulans legem & prophetas, ac teſtimonium adſertionis eccleſiae, vt nos honoremus per ſacramentum, quod nuntiant illi per literam, comm. in geneſin* L. I. c. IX. p. 33. T. II. opp.

l) L. II. de *inſtit. cleric.* c. LIII. p. 29. 30. *Hi ſunt libri V. T. quos ſub amore doctrinae & pietatis legendos recipiendosque eccleſiarum principes tradiderunt.* Quo ſenſu omnes apocryphi comprehenduntur, alibi tamen, vt mox videbimus, iterum omiſſi. Hinc librorum canonicorum LXXII. numerat pro numero presbyterorum a Moſe electorum, vt prophetarent, & LXXII. diſcipulorum Chriſti, totidemque linguarum Babylonicarum, *vt tot libri eſſent, quot nationes, quibus populi & gentes ad perficiendam fidei gratiam aedificarentur.* ib. p. 30. a. adde L. III. c. VI. p. 36. b. Mox tamen canonicos libros V. T. XXIV. facit L. III. c. VII. pag. 37. a. & tribus ordinibus legis, prophetarum & ἁγιογράφων diſtingui docet. Dein pergit: *Quartus V. T. eſt apud nos ordo eorum librorum, qui in canone Hebraico non ſunt, quorum primus ſapientiae liber eſt, ſecundus eccleſiaſticus, tertius Tobiae, quartus Iudith, quintus & ſextus Machabaeorum, quos licet Iudaei inter apocrypha ſeparent, eccleſia tamen Chriſti inter diuinos libros honorat & praedicat.* adde *comm. in regul. S. Bened.* p. 294. a. b.

m) c. II. de *vniuerſo* L. V. p. 91. a. prolixius. At de libro *ſapientiae* L. II. c. LIV. *inſtit. cleric.* p. 30. b. coniecit, quod ille propter clara de Chriſto teſtimonia ex canone, in quo olim fuiſſet, eiectus ſit; at nullibi probat.

n) de vniuerſo L. V. c. II. p. 91. b. *Ad Hebraeos autem epiſtola apud pleroſque Latinos eius eſſe, incertum eſt, propter diſſonantiam ſermonis, eandemque alii BARNABAM ſcripſiſſe, alii a Clemente ſcriptam fuiſſe ſuſpicantur.* Quam ſententiam RABANVM ex ORIGENE vel EVSEBIO hauſiſſe, probabile eſt. ORIGENEM vero multa ex propria ſua mente in libris

libris ſuis expreſſiſſe contra communem totius eccleſiae & receptam ſententiam, ex obſeruatione ven. praeſidis didici, quae exſtat *inſtit. theol. dogm.* L. I. c. II. §. XXXI. * p. 189.

o) Allegari adhuc debent verba de efficacia Scripturae Sacrae ex L. III. *de agone Chriſtiano* T. VI. p. 74. b. *geminum confert donum lectio ſanctarum ſcripturarum, ſiue quia intellectum mentis erudit, ſeu quod a mundi vanitatibus abſtractum hominem ad amorem Dei perducit.*

§. XXI.

Deum in eſſentia unum & in perſonis trinum, a) cum omnibus proprietatibus ita nobis conſideratum a ſe exhibet, vt, ſi recte loca ipſius inter ſe conferantur, b) vix quicquam, quod officiat, inuenias. De *operibus* vero, quibus ſe *Deus in regno naturae* manifeſtauit, hinc inde ſatis bene locutus eſt. *Creationem* c) a Deo ex nihilo factam eſſe, ordine tamen ipſius ſapientiae conuenienti, docet. *Angelorum*, d) *hominisque* naturam e) ante & poſt lapſum non minus accurate conſiderat, hinc de *peccato* ac *libero arbitrio*, g) *origineque mali.* de *prouidentia* h) & aliis huc ſpectantibus prolixe ac ſolide diſſeruit. De *nouiſſimis* i) agens, quasdam nihilo ſecius ἀκυρολογίας habet,

a) Tr. de *S. trinitate* ap. *Cent. Magdeb.* c. IV. de *doctrina* col. 38. *Patrem & filium & ſpiritum ſanctum inſeparabilem eſſe trinitatem, vnum Deum, & non tres Deos, ita tamen vnum Deum, vt filius non ſit pater, vt pater non ſit filius, vt ſpiritus ſanctus nec pater ſit, nec filius, ſed & patris & filii & ſpiritus ſancti hanc ineffabilem diuinitatem apud ſeipſam manentem, omnia innouantem, creantem, mittentem, recreantem, iudicantem, liberantem, hanc ergo trinitatem ineffabilem ſimul nouimus & inſeparabilem.* Et in *regula fidei ſ.* de *inſtit. cleric.* L. II. c. LVII. p. 31. b. *Vnum inuiſibilem, ita vt in ſingulis perſonarum proprietate ſeruata nec ſubſtantialiter trinitas diuidi, nec perſonaliter debeat omnino confundi &c.*

b) Alia ſtudio praetermitto. Haec tamen eo fine adduxi, ne lector offendatur magna iſta ἀκυρολογία, qua Deum vocauit *triplicem ſimplicem*

plicem, in *poem.* ad BATVRICVM *epiſc. Ratisb. in perſona Iſanberti* T. VI. opp. p. 203. b. Sane ex his facilius, ni fallor defenditur, quam ſi, auctoritate GABR. VASQVETII eundem excuſare BROWERVS nititur in *ſchol.* p. 235. b. Interim in ipſo eodem carmine pergit:

Vnus natura, perſonis trinus.

Hinc vocem triplex trinum notare HRABANO, abunde patet, quamuis incommoda omnino ſit expreſſio magni huius myſterii. Et parem fere cenſuram meretur audaciſſima myſterii trinitatis ex humana natura explicatio, quamuis bona eam mente ſuſceptam, quilibet facile perſpiciat. Ita enim de *vniuerſo*, p. 60. b. *Trinitas adpellata, quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quaſi trinitas, vt memoria, intelligentia & voluntas. In quibus habet in ſe quandam imaginem diuinae trinitatis. Nam dum tria ſunt, vnum ſunt, quia & ſingula in ſe manent, & omnia in ſe manent, & omnia in omnibus.* Quamuis mentem ſuam mox exponat orthodoxe, vt piis erroribus accenſeri merito queat.

c) in *regula fidei l. c. quod animae origo incerta ſit, & quod angelorum natura vel animae non ſit pars diuinae ſubſtantiae, ſed Dei creatura ex nihilo condita, ideoque incorporea, quia ad imaginem Dei creata eſt.* Saepius dicit omnia ex Deo eſſe, intellige, tanquam a cauſa efficiente, ac malo prorſus excluſo. Lege integrum c. XI. L. VII. *comm. in eccleſ.* p. 475. ſq. & multa huc pertinentia inuenies, quae magni prorſus momenti ſunt. Harmoniam quandam a Deo creatam eſſe rerum omnium, rhythmo de *fide cath.* innuit T. VI. opp. p. 210. b.

d) de *vniuerſo* p. 61. a. *Angeli nomen non eſt nomen naturae, ſed officii. ſemper enim ſunt ſpiritus, ſed cum mittuntur, vocantur angeli.* IX. eorum ordines adſerit, angelos, archangelos, thronos, dominationes, virtutes, poteſtates, principatus, cherubin & ſeraphin, *homil in feſt. Mich.* T. V p. 598. b. per XCIX. oues a paſtore perditam quaerente, in deſerto relictas tot agmina angelorum intelligit. Adde L. IV. c. I. angelorum & hominum animas eſſe corporeas adſerit, at ſaltem de locali circumſcriptione id ſe intelligere, inſimul docet. ib. L. IV. c. X. p. 87. Vbi etiam de malorum lapſu loquutus eſt.

e) *animam mortalem* dicit, *non quia in corpus vel aliquam aliam ſubſtantiam mutatur & vertitur, ſed in ipſa ſua ſubſtantia. Quicquid alio modo nunc eſt, aut fuit ſecundum id, quod deſtitit eſſe; quod erat mortalis, vtique deprehenditur; ac per hoc ſolus Deus dicitur immortalis, quia ſolus incommutabilis, incorruptibilisque appellatur, quia corrumpi & diſſolui non poteſt nec diuidi.* L. I. c. I. *de vniuerſo* p. 56. b. porro L. IV. c. X. p. 87. dicit animam creari ac formato corpori deinde

iudicio

iudicio Dei infundi. Quod in hac vexatiſſima controuerſia autori condonari debet.

f) *Licet ex eis quoque originali peccato obnoxia credatur naſci poſteritas in regula fidei* l. c. & *comm. in Ierem.* L. I. c. I. T. IV. p. 8. C. *Nemo enim absque peccato, nec ſi vnius diei fuerit vita eius* & L. IX. *comm. in eccleſ.* c. II. p. 495. T. 3. A. *Quoniam omnis homo ex viri ſemine & mulieris natus, cum peccatis naſcitur, & niſi per gratiam Chriſti renaſcatur & liberetur a maledictione illa, non ſaluabitur. Quatuor modis peccatum comitti*, abhinc obſeruat: *Admittitur in corde ſuggeſtione daemonum, delectatione carnis, conſenſione mentis, defenſione elationis. Committitur opere, nunc latenter nunc palam, nunc conſuetudine, nunc deſperatione, iſtis ergo gradibus & corde delinquitur & opere malitiae perpetratur. Tribus modis peccatum geritur, h. e. ignorantia, infirmitate, induſtria, periculo autem poenarum diuerſo.* ——— *Neſcire ſimpliciter ad ignorantiam pertinet.*

g) Lib. IV. *de vniu.* c. X. p. 87. b. *Manet itaque ad quaerendam ſalutem arbitrii libertas, i. e. rationalis voluntas, ſed admonente prius Deo & inuitante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, vel agat occaſione ſalutis, h. e. inſpiratione Dei, vt autem conſequatur, quod eligit, vel quod non ſequitur, vel quod occaſione agit, Dei eſſe, libere confitemur. Initium ſalutis noſtrae Deo miſerante habemus, vt acquieſcamus ſalutari inſpiratione noſtrae poteſtatis eſt, vt adipiſcamur, quod ad acquieſcendum admonitione cupimus, diuini eſt muneris, vt non labamur, adepto ſalutis munere, ſollicitudinis noſtrae eſt, & coeleſtis pariter adiutorii, vt labamur, poteſtatis noſtrae eſt, & ignauiae* & p. 88. a. *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo inuitante, venire, nullum inuitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante operari, nullum, niſi orantem, auxilium promereri*, conſequi, *nullum voluntate Dei perire, ſed permiſſu pro electione arbitrii, ne ingenuitas poteſtatis ſemel hominibus attributa ad ſeruilem cogatur neceſſitatem* ——— *non naturae viribus, ſed propoſiti adiumento per Dei gratiam acquirimus ſanctitatem.* & de *inſtit. cleric.* L. 3. c. 57. p. 31. b. *Nec eſt humanae voluntatis, arbitrio boni quiddam deputandum exiſtimari, ſed ſecundum propoſitum voluntatis Dei omnem numerum electorum acquiri.* & in *Ierem.* L. V. c. IX. p. 32. c. B. *Vbi ſunt ergo, qui dicunt, proprio hominem regi arbitrio, & ſic datam liberi arbitrii poteſtatem, vt Dei miſericordia tolleretur, atque iuſtitia.* Cumque huc etiam referatur doctrina de lege, obſeruatu haud inutilis erit diuiſio praecepti I. & II. nec non IX. & Xmi, quae cum noſtra prorſus conincidit, nec vlla ratione Reformatis fauet. v. *comm. in exodum L. II. c. XIII.* T. II. opp. p. 117. a. & b. prolixe ſatis.

h) concurſum Dei ad mala ita deſcribit *comm. in exodum*, L. III. c. I. T. II. opp. p. 122. F. G. *Quaeritur hic, quomodo dictum eſt: ſi autem no-*

 lint,

lens, alterum percuſſerit, *ſed Deus tradidit in manus eius: quaſi & ſi nolens occiderit, non poſſet occidere, niſi Deus traderet in manus eius. intelligitur ergo tantummodo Deum feciſſe, cum quisquam occiditur a nolente: & pro hoc tantummodo Deus id fecit, dictum eſt; ſed Deus tradidit in manum eius. Cum vero volens occidit, & ipſe occidit, & Deus tradidit in manum eius. Hoc ergo intereſt, quod illic tamen Deus fecit: hic autem & Deus & homo propter voluntatem facientis: ſed non ſicut Deus homo. Deus enim, non niſi iuſte: homo autem poena dignus: non quia illum occidit, quem Deus nollet occidi, ſed quia per iniquitatem. Non enim miniſterium Deo iubenti praebuit: ſed ſuae malignae cupiditati ſeruiuit. In vno igitur, eodemque facto & Deus de occulta aequitate laudatur & homo de propria iniquitate punitur. Non enim quia Deus proprio filio non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum, ideo Iudas excuſatus eſt, qui eundem ad mortem tradidit Chriſtum.* Et *comm. in Hierem.* L. XIX. p. 154. h. *Non enim ita deſpexit Dominus ex corde ſuo genus humanum & abiecit a procuratione ſolatii ſui, vt vltra propter transgreſſiones nolit eorum curam habere & ope pietatis ſuae ſuſtentare: ſed propter bonitatem ſuam ſuſtinet eos in patientia ſua, vt de vaſis irae efficiat vaſa miſericordiae* & p. ſq. c. *Domini enim iudicium nullo modo errabit, nec aliquid fit in terra ſine cauſa. Neminem iniuſte damnat, neminem ſpernit, neminemque indebite relinquit: quia omnia numero, menſura & pondere diſponit, ordinat atque gubernat. Nec vllo modo credendum eſt, quod aliquid per ignorantiam autoris ſui contingat in rebus humanis iuxta haereticorum opinionem.* In poenam permitti a Deo peccata docet L. I. in *Iudic.* p. 7. C. *Nonnunquam malum occaſio fit bonorum: & hominum praua conſilia Deus vertit ad rectum.* v. exempla *in comm. ſuper epiſt. Paulinas* L. 26. p. 536. C.

i) Duo tantum poſt mortem loca eſſe, quibus teneantur homines, hinc inde adſeruit. *Praef.* ad LVDOVICVM regem ante *libb. de vniu.* T. I. opp. p. 52. *Vt recipiant homines iuxta meritorum qualitatem aut praemium aut poenam.* & L. IV. c. X. p. 87. a. *Vt vel poenam ſufferre poſſit pro peccatis, vel in gloria aeterna permanere pro meritis &c.* & *homil.* T. V. opp. p. 684. a. *Sinus Abrahae requies eſt beatorum pauperum, quorum eſt regnum coelorum, quo poſt hanc vitam recipiuntur, ſepulturae inferni poenarum profunditas, quae ſuperbos immiſericordes poſt hanc vitam deuorat.* Nihilo tamen minus locum quendam purgatorii & miſſas pro defunctis haud obſcure adſerit, quas tamen in traditione eccleſiae, non vero ſcripturae autoritate fundatas ſimul profitetur. Ita de *inſtit. cleric.* L. II. c. 44. p. 27. a. *Hoc enim vbiuis catholica tenet eccleſia, quae niſi crederet, fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum ſpecialibus vel eleemoſynam faceret, vel ſacrificium offerret;*

&

& *comm. in Matth.* L. I. c. III. p. 19. E. *Sunt, qui ita exponunt, quod in praeſenti in ſpiritu, & in futuro baptizemur in igne, vt videlicet, naſcimur, ita & tunc de leuibus quibusdam peccatis, quae hinc nobis euntibus adhaeſerunt, purgatorii ignis ante vltimum iudicium baptiſmate permundentur.* Plura loca lubens taceo, conferre tamen iuuabit cum his *vitam* HRABANI, per TRITHEMIVM editam, eiusque librum II. *Elementa, i. e. coelum & terram non credamus abolenda in ignem, ſed in melius commutanda. Figuram mundi, i. e. imaginem, non ſubſtantiam tranſituram,* L. IV. de *vniu.* c. X. p. 88. b. adſeruit.

§. XXII.

Non ex ſuis hominem ſaluari meritis (a) dicit; ſed ex ſola Dei vniuerſali (b) *gratia* omnibus (c) hominibus ſerio oblata vnice ſalutem omnibus euenire, qui pertinaciter reſiſtere nolint, nec ſeipſos indurent (d). De *redemptore Chriſto* (e) & vniuerſalitate meriti (f) eiusdem optime loquutus eſt. *Regenerationem* omnem *conuerſionemque* ex vera, viua tamen, oriri fide (g), conſeruari ac ſuſtentari, confirmat. *Poenitentia* ſeria, quin interdum etiam ſera peccatorum a Deo remiſſionem impetrari, adſerit, & partes eiusdem duas tantum (h) fecit. *Confeſſionem* (i) quandam & *contritionem* (k) his addit, at ſenſu papicolis multum aduerſo. Hinc & *ſatisfactionis* l) vocem longe aliud quid, quam his denotare HRABANO, mirum non debet eſſe. *Juſtificationem* hominis peccatoris coram Deo non niſi ex ſola fide (m) & ne hac quidem, qua opera (n), ſed quatenus meritum Chriſti cauſam remiſſionis peccatorum cum fiducia adplicat, hominibus dari contendit. Hinc abſolutionem quandam a peccatis iuſtificationis voce deſignari adfirmat, quae in foro (o) fieri ſoleat, qua homo regenitus vi meriti Chriſti per fidem ſibi adplicati, ac iudici-

ci ſupremo delati plenam peccatorum quoad culpam non minus, quam poenam, conſequatur remiſſionem (p), aliisque hinc ſequentibus beneficiis frui poſſit. Interim *perpetuo* opus eſſe, vt vlterius homo regenitus in *ſanctificatione & renouatione* (q) progrediatur, ne felicitate ſua iterum excidat.

a) merendi vox, pro acquiſitionis ſynonymo hoc ſeculo acceptum fuit. Ita enim *homil.* T. V. opp. p. 708. B. *Illi*, ait, *ſunt viri miſericordiae qui recta fide & bonis operibus miſericordiam Domini promeruerunt.* & *quatenus per rectam fidem & bonam operationem ſtudeant ad ſalutem perpetuam peruenire.* Confer cum his illa HRABANI loca, quibus omne meritum proprium penitus excludit: e. g. de *vniuerſo* L. I. c. III. p. 60. a. *Ipſe eſt & gratia, quae, quia non pro meritis noſtris, ſed voluntate diuina gratis datur, inde gratia nuncupatur.* & *homil.* T. V. p. 659. D *Deo ſumus dilectiſſimi, mira reconciliatione ſociati & coeleſtem miſericordiam pleniter conſecuti, in qua pax nobis miranda donata eſt per Chriſtum, quam nullis vnquam noſtris meritis voluimus adipiſci.* Alibi tamen aliter loquitur: *Vt per ieiunia & caſtigationem corporis per preces & compunctionem cordis remiſſionem peccatorum noſtrorum & gratiam in conſpectu eius inuenire mereamur*, *homil.* p. 590. Interim quaenam in homiliis adcuratio obſeruari ſoleat, omnibus conſtat. Melius p. 683. *Nullis, inquit, meritis hominum Deus pater dilexit homines, vt vnicum filium* & iterum: *Cum ergo in tantum nos Deus, nullis noſtris praecedentibus meritis dilexit &c.*

b) *Ergo quantum in medico eſt, ſanare venit aegrotum, ſe interimit, qui praecepta medici obſeruare non vult*, ib. p. 671. a. T. V. & p. 663. b. *Quid autem, ſi non omnes credunt, ille tamen, quod ſuum erat, impleuit.* Et hoc demum ſenſu p. 660. b. per *mundum* eos *intelligit, qui viuunt ſecundum concupiſcentiam mundi, & non ſunt in ea forte* (in praeſenti propter inobedientiam ſuam) *gratia, vt ab illo eligantur a gratia.*

c) Vniuerſalem eſſe vocationem omnium quoque gentilium, vel in *comm. ſup. Numer.* L. III. c. VI. T. II. opp. p. 366. prolixe exemplo BALAAMI probat. *Agebatur enim mira & magna diſpenſatio, vt quoniam prophetarum verbum, qui intra aulam continebantur Iſraeliticam,* (&) *ad gentes peruenire non poterant, per Balaam, cui fides ab vniuerſis gentibus habebatur; innoteſcerent etiam nationibus ſecreta de Chriſto myſteria.*

d) Quae de induratione PHARAONIS *comm. in exod.* L. I. c. VIII. p. 91. diſſeruit, digna omnino ſunt, quae heic adducantur: *Indurare ergo Dominus Pharaonem dicitur, non quod ipſe eum durabilem & inobedientem faciat, ſed quod induratum, ne eum corrigat, iuſto iudicio derelinquat. &c.* adde c. XII. p. 93. G.

e) duas in Chriſto eſſe naturas ſocietate vnitas adſeruit tr. de *vniu.* c. X. b. p. 86. Perſonalem tamen eſſe vnionem naturarum, ex *homil.* p. 629. H. & *regula fidei* L. II. *inſtit. cleric.*. cap. LVII. p. 31. patet: *Et quod diuinam humanamque ſubſtantiam in vtroque perfectus vna Chriſtus perſona geſtauerat: quia nec geminauit vtriusque ſubſtantiae integritas perſonam, nec confudit geminam vnitas perſonae ſubſtantiam: altero quippe neutrum excludit: quia vtrumque vnusquisque intemerato iure ſeruauit.* Hinc ſocietas haec vnionem perſonalem haud excludit. Mariam porro poſt generationem Meſſiae manſiſſe ſemper virginem adſerit, & exemplo HELVIDII blaſphemare dicit ſecus ſentientes. L. IV. *vniu.* c. X. p. 88. col. b.

f) *Ab hac nocte dominicae reſurrectionis paradiſus patet, nulli clauditur, niſi a ſeipſo, nulli aperitur, niſi a Chriſto*; *homil.* T. V. p. 589. C. Quod ſpecialius per ſpecies hominum inluſtrat L. II. *inſtit. cleric.* c. 37. p. 23. b. & quidem ſatis prolixe, tandemque concludit: *Quia pro horum omnium redemptione in hac die ſanguis effuſus eſt Chriſti.* ——

g) actus quosdam praeparatorios fidem praecedere *homil.* T. V. p. 595. G. totidem ferme verbis docet: *Sternamus viam verae fidei bonis operibus.* Adde canonem I. concilii Mogunt. I. ſupra P. 2. recenſitum. Neque his obſtant, quae L. II. *de actuali & contempl. vita* T. VI. c. III. opp. p. 128. F. dicuntur: *Fides vero iuſtitiae eſt fundamentum, quam nulla opera bona praecedunt*, ſc. efficienter, quamuis praeparatorios quosdam & paedagogicos actus nullatenus reiiciat, cuiusmodi eſt, non reſiſtere veritati oblatae &c. *ex qua omnia procedunt, ipſa nos a peccatis omnibus purgat, mentes noſtras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus noſtrae naturae conſociat, ſpem nobis futurae remunerationis inſpirat, augens in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat.* Quinimo toto hoc capite fidei naturam explicare co-

natur. Et homil. T. V. p. 607. a. per fidem inquit, renaſcimur in baptiſmate & ſalutem aeternam impetramus, ſicut ſcriptum eſt, qui crediderit & baptizatus &c. & dein: per ipſam gratiam Dei inuenimus, aliter autem Deo placere non poſſumus, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Vere enim beatus eſt, qui & recte credendo bene vixit, & bene viuendo fidem rectam cuſtodit. Igitur ſicut otioſa eſt fides ſine operibus bonis, ita nihil proficiunt bona opera ſine fide recta. adde L. III. inſtit. p. 75. a.

h) vt omnes, quos ad poenitendum, (ſpeciatim vocabulo accepto) Chriſtoque credendum perſuadere potuiſſet; comm. in Matth. L. I. p. 19. a. T. V. opp. & L. I. eccleſ. c. 19. tot. p. 405. in peccatoris vtique pectore inceſſanter debet ſpes & formido coniungi. Quia in caſſum miſericordiam ſperat, ſi non etiam iuſtitiam timeat. In caſſum iuſtitiam metuit, ſi non etiam de miſericordia confidit. Et haec poenitentia impetrat remiſſionem in hoc ſeculo, quae valet in futuro. ib. L. V. c. I. tot. p. 442. praecipue F.

i) Confeſſio dicitur exomologeſis, quod delictum noſtrum Domino confitemur, non quidem vt ignaro, cuius agnitioni nihil occultum eſt —— Confeſſio autem erroris confeſſio eſt deſinendi. L. V. de vniuerſo cap. XV. p. 101. b. quicquid ſe meminerit nequiter egiſſe per confeſſionem ſacerdoti; patefaciat de modo poenitentiae c. I. T. VI. p. 100. B. nondum tamen eſt ſpecialis enumeratio omnium peccatorum his indicata: v. ven. praeſidis inſtit. theol. dogm. L. IV. c. III. p. 1248.

k) Lib. de euchar. c. XXI. ap. cent. Magdeb. ita de hac: Duplex reſipiſcenti debet eſſe luctus in poenitentia, vel quid (quia) male geſſit, vel quia de ſe ad iudicium male praeſumpſit. Et homil. T. V. p. 614. A. Compunctio cordis ex humilitatis virtute naſcitur, de compunctione confeſſio peccatorum, de confeſſione poenitentia, de poenitentia proueniet peccatorum indulgentia. Compunctio cordis eſt humilitas mentis cum lacrymis & recordatione peccatorum & timore iudicii. Ex gemino

fonte

fonte compunctionis ſolent profluere lacrymae, h. e. aut dum mens operum ſuorum diligentius mala conſiderat, aut deſiderio aeternae vitae ſuſpirat; & paulo poſt: Non enim longitudinem temporis tantum requirit Deus, quantum affectum ſinceritatis poenitentis penſat. Qui enim in Chriſtum tota mente confidit, etiam ſi multis moriatur peccatis, fide ſua viuit in aeternum. ib. E.

l) notat cauſas peccatorum excludere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere. L. IV. c. X. de vniu. p. 88. a. & c. XV. p. 101. b. cauſas peccatorum excludere & vltra peccatum non iterare.

m) quod neque fides noſtra ſine Chriſti ſanguine, neque ſanguis Chriſti nos ſine fide noſtra iuſtificat, ex vtroque tamen multo magis ſanguis Chriſti nos, quam fides noſtra iuſtificat. v. comm. in epiſt. Paul. L. III. p. 207. Fides enim inſtrumentum ſolummodo eſt meritum Chriſti apprehendendi. Iam vero magis tale eſt, propter quod aliquid eſt. Et p. 203. Vt praeceptis ſuis auctoritatem tribuens aemulos nos eorum haec fiducia faceret, per quam iuſtificemur, meritis nos augeremus, per quam gloriam adepti clari adpareamus in regno Dei. & p. 250. b. de Iudaeis loquens, ſpernentes, ait, fidem, quae ſicut dixi, perfectio legis eſt, ex operibus legis iuſtificari ſe dicebant, i. e. per ſabbathum, neomenias, circumciſionem —— immemores ſcripturae dicentis, quia iuſtus ex fide viuit. & p. 256. b. Si enim per haec opera quis iuſtificatur, non gratis iuſtificatur, qui autem per gratiam iuſtificatur, iſta quidem opera ab eo minime quaeruntur, ſed obſeruare debet, ne accepta gratia inanis fiat in eo. Et p. 384. b. nullum hominum iuſtificatum dicit ex operibus legis. Quicunque enim iuſti ſunt, ex fide iuſtificati ſunt —— Quos admonere debemus, eos hic dicit iuſtitiam non conſecutos, qui tantum ex operibus iuſtificari poſſe ſe credunt. Sanctos autem, qui antiquitus fuerunt, ex fide iuſtificatos Chriſti, ſiquidem Abraham vidit diem Chriſti & laetatus eſt. —— p. 194. b. Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes neque vicem reddentes ſola fide iuſtificati ſunt dono Dei per redemptionem, quae eſt in Chriſto Ieſu.

n) inter homil. T. V. p. 718. a. Ex quo oſtendit, quod neque fides noſtra ſine Chriſti ſanguine, nec ſanguis Chriſti nos ſine fide noſtra iuſtificat. Ex vtroque tamen multo magis ſanguis Chriſti nos, quam fides noſtra iuſtificat, & ideo mihi videtur, quod in ſuperioribus ſimpliciter dixerit, iuſtificati ex fide, hic addidiſſe, multo magis ergo nunc iuſtificati in ſanguine eius, vt doceret, quia ab ira ventura, niſi fides

noſtra

noſtra nos ſaluet, etiam ſi opera iuſtitiae, ſuper haec tamen omnia multo magis ſanguis Chriſti ſaluos nos faciat ab ira futura.

o) *Illa quippe iuſtitia Ioſeph iuſtus erat, quae ante Dominum iuſta eſt, quae aliena a miſericordia non eſt, quae ex mentis ſimplicitate formatur, quae gratiae concordat, & ex fide eſt; comm. in Matth.* L. I. p. 11. a. T. V. opp. *Solus Deus eſt iuſtus ſeu bonus per naturam, caeteri autem per gratiam.* L. 4. *eccl.* c. 7. p. 435. B. Totum iuſtificationis proceſſum hinc prolixe admodum deſcribit *comm. in epiſt. Pauli* L. 2. c. 2. p. 186. D. ſqq.

p) *quae nobis praeſtatur munere redemptoris pleniter in baptiſmo per fidem, & ea, quae poſt baptiſmum committimus per confeſſionem & veram poenitentiam, ac bona opera ſperamus dimitti. Homil.* T. V. p. 587. b.

q) Poſſe etiam regenitos iterum labi, & per poenitentiam deinde ad gratiam redire, teſtatur noſter L. III. c. VIII. *de modo poenitentiae ad BONOSVM* T. VI. opp. p. 103. adde cap. V. p. 101. & 102. & *comm. in Numer.* L. II. c. XXI. p. 352. E. F. Addi etiam alia potuiſſent, niſi tractatio omnem modum excurreret.

§. XXIII.

Sacramenta (a) N. T. duo (b) tantum proprie dicta admittit, creditque a malo quoque miniſtro diſpenſata fructu ſuo & efficacia illa haud deſtitui. (c) *Baptiſmum* in nomine trinitatis (d) fieri in infantibus (e) non minus, quam adultis, (f) docet (g). In *S. coena* ſub elementis panis (h) & vini (i) corpus & ſanguinem (k) Chriſti vere (l) ſuppeditari contendit, quamuis capernaiticam manducationem admiſiſſe fruſtra dicatur (m). *Sacrificii* ac *miſſae* (o) voces longe alio, quam hodie a Romanenſibus fieri conſtat, ſenſu adhibuit. Quodnam ſit dogma ipſius de *praedeſtinatione* ex controuerſia *Godeſcalciana* ſupra ex profeſſo a nobis pertractata ſatis, ni fallor liquet; certe, abſolutam eſſe, vbiuis negat (p). De

De *Eccleſia* (q) ſatis bene diſſeruit, & quamuis praerogatiuam quandam Papae Romano hinc inde tribuat, (r) nullibi tamen prorſus ad Pontificiorum caſtra diſcedit (s). De *miniſterio* (t) *eccleſiaſtico*, *magiſtratu* (u) *politico* ac *coniugio* (w) ſententia ipſius tolerari adhuc poteſt. Atque hinc cuiuis conſtabit, quae fuerit illo tempore doctrinae facies, vt plura his addere haud ſit neceſſe.

a) *Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cum res geſta ita fit, vt aliquid ſignificare intelligatur, quod ſancte accipiendum eſt,* de *vniu.* L. V. c. XI. p. 99. b. Et in latiori hac ſignificatione ſapius accipitur. Ita *comm. in Matth.* L. VI. p. 124. a. *Omne ſacramentum humanae diſpenſationis, natiuitatis, baptiſmi, praedicationis, paſſionis, reſurrectionis & aſcenſionis filii Dei peractum eſt;* & mox: *Iudaeos ſacramentum incarnationis Chriſti reſpuiſſe;* it. p. 134. b. *Chriſtianae fidei venerabile ſacramentum* dicit.

b) Equidem tria admittere videtur, cum vbiuis baptiſmum & chriſma, corpus & ſanguinem Chriſti recenſeat, quos in IV. diſpeſcit eadem acceptione L. I. *inſtit. cleric.* c. 31. p. 11. B. at contra omnem loquendi vſum. Hinc mox ad duas claſſes reducit. Ita L. III. de *vniu.* c. II. p. 70. b. *Sic & Chriſtus per paſſionem crucis mortem deguſtans ſanguinem & aquam de latere ſuo produxit. Quibus duobus ſacramentis ſancta induitur eccleſia.* & L. X. *inſtit. cleric.* c. XXIV. T. VI. p. 8. b. *Sunt autem ſacramenta baptiſmum & chriſma, corpus & ſanguis, quae ob id ſacramenta dicuntur, quia ſub tegumento corporalium rerum virtus diuina ſecretius ſalutem eorundem ſacramentorum operatur, vnde & a ſecretis virtutibus vel ſacris ſacramenta dicuntur.* & L. II. c. XIII. p. 53. b. *Duo ſunt eccleſiae praecipua ſacramenta, vt in altero conſecratio, in altero mundatio eidem tribueretur eccleſiae. Regeneramur namque ex lauacro & conſecramur ex ſanguine.* At numerum ſeptenarium prorſus nullibi adhuc reperi.

c) exempla vbiuis leges, praeſertim L. I. *inſtit. cleric.* c. 24. p. 8. b. *homil.* T. V. p. 683. a. & alibi paſſim.

d) de *vniu.* L. V. c. XI. p. 100. *Cuius myſterium non aliter, niſi ſub trinitatis deſignatione, i. e. patris, filii & ſpiritus ſancti cognominatione completur.* Quamuis NICOLAVS Papa in nomine Chriſti baptizatum rebaptizari vetet, apud SPANHEMIVM T. I. opp. col. 1357. ipſi tamen HRABANVM hac in re aduerſari, quilibet videt, nec inique forſan infert, admodum exiguam tum papae infallibilitatem tributam a doctoribus fuiſſe.

 e) cui

e) *cui autem peccato paruuli renaſcendo moriuntur, niſi quod naſcendo traxerunt, comm. in epp. Paul.* L. 3. c. 6. p. 212. b. & L. I. *inſtit. cleric.* c. XXVI. p. 9. B. C. admodum prolixe. Tandem ita: *Manifeſtum enim, quod paruuli ſicut ex aliis ea, quae illis remittuntur in baptiſmo, peccata traxerunt, ſic & per alios ad ſalutem credunt. Nec enim* (*non*, alias ſenſus foret nullus, vel priori contrarius) *ſiquidem muti & ſurdi, qui nec audire neque profiteri fidem poſſunt, ab aliquibus chriſtianis ad baptizandum offeruntur, per credulitatem offerentium ſaluari creduntur. Quia non obſiſtit omnipotentis Dei gratiae, naturae infirmitas humanae.*

f) Hos tamen in fide ſatis informatos eſſe, ac fidem publice profiteri, oportebat. L. I. *inſtit. cleric.* c. XXVII. p. 9. D. ſq.

g) Non baptizatis ſalutis viam abſolute praecludi adſerit, L. IV. de *vniu.* c. X. p. 88. b. *baptizatis tantum iter eſſe ſalutis, nullum catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum vitam aeternam habere credamus, excepto martyrio, vbi tota baptiſmi ſacramenta complentur.* Quo ipſo baptiſmi neceſſitatem extendit, non perpendens, quae ante de fidei in infantibus productione (not. e) ediſſeruerat. Harmoniam iuſtitiae, bonitatis & ſapientiae diuinae quandam heic quoque ſemper eſſe, fatendum erat potius, quam in occulta Dei iudicia curioſius ac temerario auſu inquirendum. Nihilo tamen ſecius haec adhuc excuſari poſſe, credo. Baptiſmum quoque non eſſe nudum gratiae diuinae ſignum, ſed reipſa eandem conferre, adſeruit, L. V. c. XI. de *vniu.* p. 100. *Quia ibi homo ſpiritu gratiae in melius immutatur & longe aliud, quam erat, efficitur.*

h) Azymorum vſum hoc ſeculo iam obtinuiſſe, clariſſime patet ex L. I. *inſtit. cleric.* cap. 31. p. 11. F. *Propterea quippe Dominus noſter corpus & ſanguinem ſuum in eis rebus commendauit, quae ad vnum aliquid rediguntur ex multis ſiue granis, ſiue azymis &c.* & p. 12. a. *Ergo panem infermentatum & vinum &c.* rationem praemittit: *Nec enim in ſacramentis aliud offerri licet, niſi quod Dominus ipſe conſtituit & ſuo exemplo facere nos docuit;* it. paulo poſt: *maxime cum in tempore paſchae nullum fermentatum cuiquam veſci, ſed nec in domo habere illi licebat &c.* Mirum hinc viſum eſt, doctiſſimum SPANHEMIVM col. 1374. adprobare alienam ab hac ſententiam: *Azymorum vſum in eccleſia occidentali non introductum eſſe, niſi ſub pontificatu LEONIS IX. ſeculo XI. idem Cardinalis BONA largitur. &c.*

i) Vinum aqua mixtum offerendum cenſet, non aquam puram. L. IV. de *vniu.* c. X. p. 88. & 89. *In ſacra coena non debet aqua pura offerri, vt quidam ſobrietatis imagine falluntur, ſed vinum & aqua mixtum, quia & vinum fuit in redemptionis noſtrae myſterio, cum dicit, non bibam a modo ex hoc genimine vitis, & aqua erat mixtum, quod poſt coenam dabatur, ſed & de latere eius, quod lancea perfoſſum eſt,*

aqua

aqua cum ſanguine egreſſa vinum de vera carnis eius vite cum aqua egreſſum eſt. Adde integrum caput XXXI. L. I. de *inſtit. cleric.* p. 11. ſqq. Quod omnino adiaphorum eſt, quamuis ob meri praeſtantiam ſaluator aquam admiſcuiſſe potius credatur. vid. *vener. praeſ.* diſſ. *de ſymbolis euchariſticis*, §. X. in *parergis hiſt. theol.* num. I. p. 22.

k) Hinc ſub vtraque omnibus dabatur hoc ſacramentum, nec prohibebantur laici calice. L. VI. *in eccl.* c. I. p. 454. G. *Cuius* ait, *vitis liquor laetificat cor hominum, quando bibendo ſanguinem eius gaudentes laudant redemptionis ſuae venerabile ſacramentum.*

l) Cum magni haec res contra Reformatos ac Pontificios doctores momenti ſit, exquiſitius paulo exponere eam iuuabit. Praeſentiam quandam corporis & ſanguinis Chriſti in vno eodemque actu veram ac realem in cum & ſub pane ac vino non vno in loco totidem verbis adſeruit. *Sacramentum enim in alimentum corporis redigitur, virtute autem ſacramenti aeternae vitae dignitas adipiſcitur.* —— *Sumunt ergo fideles bene & veraciter corpus Chriſti, ſi corpus Chriſti non negligant eſſe, fiant corpus Chriſti, ſi volunt viuere. De ſpiritu Chriſti non viuit, niſi corpus Chriſti.* —— *Tum enim vere & ſalubriter corpus & ſanguinem Chriſti percipimus, ſi non tantum volumus, vt in ſacramento carnem & ſanguinem Chriſti edamus &c.* de *inſtit. cleric.* L. I. c. 31. p. 11. & paulo ante: *Maluit enim Dominus corporis & ſanguinis ſui ſacramenta fidelium ore percipi & in paſtum redigi, vt per viſibile opus inuiſibilis oſtenderetur effectus. Aliud eſt ſacramentum, aliud virtus ſacramenti, ſacramentum enim ore percipitur, virtute ſacramenti interior homo ſatiatur;* v. de vi concludendi IO. MVSAEVS diſp. *de vera ac reali corporis & ſanguinis Chriſti in coena praeſentia* theſi IV. & V. ſq. Pro hac ſententia vlterius pugnant loca a *centur. Magdeb.* ex tr. de *euchar.* allata cap. IV. col. 42. 45. 84. quibus prolixe diſſeruit, idem prorſus eſſe in coena corpus Chriſti, quod natum eſt de Maria virgine, quod pependit in cruce, ſepultum eſt, reſurrexit, aſcendit in coelos. Quod eum adſeruiſſe, fruſtra proinde negat vir doctiſſimus CHRISTOPH. MATTH. PFAFFIVS *inſtit. hiſt. eccl. N. T.* ſeculi IX. c. I. §. 2. p. 168. ſine dubio NATALIS ALEXANDRI auctoritate deceptus l. mox cit. Ita enim, *in epiſtola*, ait, *ad HERIBALDVM & EGILONEM negauit, idem eſſe in euchariſtia Chriſti corpus, quod ex Maria natum ſit.* Locum mox infra conciliabimus. Nemo igitur haec & id genus alia perpendens dubitabit amplius, HRABANVM veram & realem corporis & ſanguinis Chriſti praeſentiam adſeruiſſe. At noua oritur quaeſtio: annon potius transſubſtantiationi fauerit noſter? Certe MAVGVINVS *diſp. hiſt. & chron.* c. XIIX. p. 140. 141. noſtratem & HERIBOLDVM,

(melius

(melius HERIBALDVM episc. Antiſſiodor.) cum AMALARIO ſtercoraniſtarum patriarcha feciſſe contendit. Quod probat ex anonymi, ſeu vero nomine HERIGERI *Laubienſis abbatis* tr. hoc ſeculo *de corpore & ſanguine Domini ſcripto*, & NATALI ALEXANDRO *hiſt. eccl. N. T.* ſec. IX. X. P. II. diſp. XI. §. II. p. 580. quoque citato. Addit quoque WILLIELMVM MALMESBVR. *in ep. ad ROBERTVM fratrem*, & alios. At noſtratem ab illa accuſatione defendit IO. MABILLONIVS *ann. Ben.* T. III. L. 34. ad 853. §. 56. p. 27. & *praef.* ad P. II. *ſeculi IV. Benedictini.* Et huic dogmati HRABANVM haud fauere, cuilibet patet, ſi vel obiter diſtinctionem perpendat, quam vbiuis facit inter materiam terrenam & coeleſtem, ac vtriusque virtutem per ſe inſitam. Huc mihi ſpectare videntur verba *epiſtolae* ad HERIBALDVM l. c. *Quidam nuper de ipſo ſacramento corporis & ſanguinis Domini non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum corpus & ſanguinem Domini, quod de Maria virgine natum eſt, —— quod ſumitur de altari, cui errori, quantum potuimus, ad EGILVM abbatem ſcribentes, de corpore ipſo, quid vere credendum ſit, aperuimus.* Alias etiam verborum ſenſus nullus eſſet, ſi illa cum ſuperioribus conferre dignaberis. Quae tamen imputatio in virum doctum non temere cadit. Certe ex verbis his prono niſu ſequitur, transſubſtantiationi Pontificiae illum haud patrocinari, quam eodem tempore nonnulli propugnabant. v. ſupra §. IX. not. b. Nec obſtat hactenus dictis, quod L. I. *inſtit. cler.* c. 31. p. 12. B. dicat HRABANVS: *Haec autem dum ſunt viſibilia ſanctificata, tamen per ſpiritum ſanctum in ſacramentum diuini corporis tranſeunt.* Haec enim non niſi ſingularem eandemque ſacramentalem vnionem indicare, quis non videt? Attigit hanc controuerſiam vener. praeſes *inſtit. theol. dogm.* L. V. c I. §. XXII. * p. 1549. edit. I.

m) de efficacia huius ſacramenti quaedam adhuc addenda ſunt. *Vere*, inquit, *caro Chriſti eſt cibus, quia vere paſcit & ad aeternam vitam hominem nutrit, & ſanguis eius vere eſt potus, qui eſurientem animam & ſitientem iuſtitiam in aeternum veraciter ſatiat*, de vniu. L. V. c. XI. p. 100. *Huius rei ſacramentum, i. e. vnitatis corporis & ſanguinis Chriſti de menſa Dominica aſſumitur quibusdam ad exitium. Res vero ipſa omni homini ad vitam, nulli ad exitium.* ib. *Sicut ergo in nos id conuertitur* (moraliter, vt virtutem eius percipientes a peccatis ad vitae ſanctimoniam reuertamur. Conuerſionem enim a שוב reuerti denominatam eſſe, nemini non conſtat) *cum id manducamus & bibimus, ſic & nos in corpus Chriſti conuertimur, dum obedienter & pie viuimus.* L. I. *inſtit. cler.* cap. 31. p. 11. G.

n) *ſacrificium altaris* vocat *comm. in Matth.* L. 7. p. 157. a. *ſacrificium dicitur, quaſi ſacrum factum, quia prece myſtica conſecratur in memoriam pro nobis dominicae paſſionis. Vnde hoc eo iubente corpus Chri-*

ſti

ſti & ſanguinem dicimus. Quod dum fit ex fructibus terrae, ſanctificatur, & fit ſacramentum operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. Cuius panis & calicis ſacramentum graeci ἐυχαριϛίαν *dicunt, quod latine bona opera interpretatur.* Cuius deinde vſum & quomodo ſacrificia V. T. typum eius geſſerint, prolixe refert. v. tr. de vniu. L. V. c. IX. pag. 98. a. *Corporu & ſanguinis Chriſti venerabile ſacramentum antecedat dignae laudis ſacrificium*, de *inſtit. cleric.* L I. c. XXXIII. p. 13. E.

o) *Miſſa tempore ſacrificii eſt, quando catechumeni foras mittuntur, clamante leuita, ſiquis catechumenus remanſit, exeat foras, & inde miſſa, quia ſacramentis altaris intereſſe non poſſunt, qui nondum regenerati noſcuntur*, de vniu. L. V. c. XI. p. 98. a.

p) Omnia fecit Deus mortem non intendens. Quod prolixe deduxit *comm. in Lib. ſapient.* L. I. c. 3. T. 3. p. 364. Adde *comm. in epp. Pauli* L. V. p. 239. b. vbi inter alia ait: *nec praedeſtinauit aliquem, niſi quem praeſciuit crediturum eſſe.* Harmoniam attributorum diuinorum hac in re accurate obſeruat L. 7. in *eccl.* c. XI. T. III. p. 475. *In ſingulo enim homine tantum eſt voluntas iuxta liberum arbitrium, in Deo autem vniuerſorum conditore ſemper iuſta eſt voluntas cum omnipotentia. Vnde ſcriptum eſt, omnia, quaecunque voluit, fecit: ſcit enim cuius debeat miſereri ſecundum praeſcientiam & praedeſtinationem ſuam, & quem deſpicere ſecundum iuſtitiam & iudicium ſuum, nec enim ſumma iuſtitia aliquid velle aut facere poteſt, niſi quod iuſtum eſt &c.*

q) *catholica eccleſia, catholica vniuerſalis a toto catholico, i. e. ſecundum totum, non enim, ſicut conuenticula haereticorum, aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum orbem dilatata diffunditur;* de vniu. L. IV. c. 3. p. 84. a. *catholicam dicit, i. e. toto orbe diffuſam, quia diuerſorum haereticorum eccleſiae ideo catholicae non dicuntur, quia per loca atque per ſuas prouincias continentur, haec vero a ſolis ortu usque ad occaſum vnius fidei ſplendore diffunditur.* T. V. opp. p. 587. b.

r) Magnam, fateor, Papae R. auctoritatem tribuit, quem ſucceſſorem Petri eſſe adſerit, a quo etiam poſt Chriſtum ordo ſacerdotii procedat. Petrum omnem docendi, ligandi ſoluendique a Chriſto poteſtatem ac dona accepiſſe primum, dein reliquos demum apoſtolos, dicit; ſed addit: *pari* nihilo minus *conſortio honoris & poteſtatis caeteros quoque apoſtolos cum Petro effectos eſſe*, de *inſtit. cleric.* L. I. c. IV. T. VI. opp. p. 4. S. Petrum excubias agere, dicit, pro ouibus a Domino ſibi commiſſis paſtorales, *exoraturam deprecationibus ſuis, vt eccleſia Dei, quae ipſius eſt praedicationibus inſtituta, ſub omni errore ſit libera & in recta fide ac bono opere perſeueret ſolidata*, in *homil.* T. V. p. 582. Primatum vlterius probare nititur p. 588. b. item in *carm.*

 ad

ad GREGORIVM IV. quo libros de *laudibus S. crucis* ei dicat, T. VI. p. 202. a.

Tu caput eccleſiae es, primus patriarcha per orbem.
Principi apoſtolico Petro coniunctus in aeuum,
In terris vicem, cuius & ipſe geris.

At ſi haec ſtylo ſaltem oratorio ſcripta, aliis locis longe clarioribus, quibus eundem denuo deſtruit, facile refelluntur. Adde acta cum regibus Germaniae, a quorum partibus ſemper contra Papam ſtetit, quamuis in odium papae hoc ipſo incurreret. Hoc interim ſeculo Papae R. poteſtatem nondum ad ἀκμὴν perueniſſe, ex adductis abunde videre licet.

s) *Solius Chriſti corpus eſſe, & nullius alius*, ait *comm. in lib. Ruth* T. III. p. 38. F. *Chriſtus eſt caput corporis eccleſiae* L. X. in *eccleſ.* c. IX. p. 505. F. *Fides paſſionis Chriſti in cordibus credentium adiuncta doctrinae apoſtolorum, indiſſolubile aedificium eccleſiae facit, veraeque charitatis glutino fortiter connexum.* L. V. c. V. p. 446. A. Verba Chriſti: *tu es Petrus & ſuper hanc &c.* eodem, quo nos ſenſu interpretatur: *Vt meam videlicet in eis ouibus gloriam, meum dominum, mea, non tua propria quaeras.* T. V. p. 703. a. & p. 705. a. *ſuper te, h. e. hanc petram i. e. ſuper illum, quem modo confeſſus es, dicens, tu es Chriſtus, filius Dei viui, ſiue ſuper hanc petram, ſuper confeſſionem Petri*; iterum p. 738. *ſuper petram aedificabo eccleſiam meam, h. e. in catholicae fidei profeſſione ſtatuo fideles ad vitam.* Atque ab hac petra Petri nomen Simoni impoſitum eſſe credit. v. *comm. in Matth.* L. V. p. 99. & L. III. a. p. 60. atque alici paſſim.

t) ab eius probitate vel iniquitate ſacramentorum efficaciam haud dependere, contendit. *Hinc* Graece myſterium dicitur, quod reconditam habet *diſpenſationem* L. V. de *vniu.* c. XI. 99. b. Doctrinam Pontificiorum de impreſſione characteris cuiusdam ſanctitatis, qui deleri nequeat, prolixe refellit *homil.* T. V. p. 702. b. Epiſcopi ac presbyteri idem olim nomen & officium fuiſſe, probat L. I. *inſtit. cler.* c. VI. p. 5. G. adde *comm. in epiſt. Paulinas* T. V. p. 455. H. & 456. it. 502. a.

u) pro ordine humano tantum habuit. Sufficiat vel vnico id loco ex *ep.* ad BRVNWARDVM abb. confirmaſſe. *Duae dignitates ac poteſtates inter homines conſtitutae reperiuntur, vna ex humana inuentione reperta, h. e. imperialis atque regalis, altera vero ex diuina authoritate inſtituta, h. e. ſacerdotalis: Quarum vna hominum corpora parat ad mortem, altera vero animas nutrit ad vitam. centur. Magdeb.* c. V. col. 115. Quod non ſine omni cenſura dimitti debet.

v) *Coniugium eſt legitima perſonarum inter ſe coeundi & copulandi nuptiae Tribus autem de cauſis ducitur vxor, prima eſt cauſa prolis de qua legitur;*

gitur in geneſi, & benedixit eos dicens &c. ſecunda cauſa adiutoris de qua ibi in geneſi dicitur, non eſt bonum, hominem —— tertia cauſa incontinentiae, vnde dicit apoſtolus, qui ſe non continet, nubat L. VII. de *vniu.* c. V. p. 120. b Neque nuptias abſolute prohibet, attamen virginitatem ac coelibatum praeſtare arbitratur. *Bonae nuptiae ſunt, ſed cauſa filiorum, non concupiſcentiae fornicationis obtentu. Melior eſt continentia, ſed non ſibi ſufficit ad beatitudinem, ſi pro ſolo amore pudicitiae retinetur; ſed ſi cum hoc affectu cauſa vacandi Domino eligitur, alioquin diuortium magis coniugii videbitur eſſe, quam caſtitas. Virginitas vtroque modo pretioſior eſt, quia & naturam vincit & pugnam. Nam naturam corporis integritate, pugnam caſtimoniae pace.* de *vniu.* L. IV. c. X. p. 88. *Malas dicere nuptias, vel fornicationi comparandas aut ſtupro —— non eſt chriſtianorum, ſed proprie encratitarum & Manichaeorum.* ib. Attamen paucis interiectis durius pauliſper hac de re loquitur: *Sacratae Deo virginitati nuptias coaequari & pro amore caſtigandi corporis abſtinentibus a vino vel carnibus nihil credere meriti accreſcere, non eſt hoc chriſtiani, ſed Iouiani*; *comm.* in *geneſin* L. I. T. II. opp. p. 10. P. *Et quanta ſunt digni maledictione, qui prohibent nubere & diſpoſitionem coeleſtis decreti; quaſi a Diabolo receptam contaminant.* Coelibatum clericorum C. V. ad HERIBALDVM de *quaeſt. can. poenit.* T. VI. p. 111. a. *ſacerdotes Dei & diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiae cuſtodes ab vxoribus ſe abſtineant.* Nec tamen cuiquam refragabor, ſi de abſtinentia a coitu ad tempus tantum imminentis adminiſtrationis, haec eius verba intellexerit. Vota tamen ſecunda apertius improbat *comm. in Matth.* L. VI. p. 110. a.

XXIV.

Nec minus ad *theologiam moralem* pertinentia dogmata RABANI noſtri ſatis ſunt quaedam celebria. Non iam de iis agere decreuimus, quae ad philoſophiam moralem (a) pertinent, non perperam ab eodem pertractatis; ſed de iis potiſſimum ſermo nobis eſt, quae ad theologiam pertinent moralem ſtrictius dictam. Quanquam negari queat, conſiderationem principiorum philoſophicorum, praeſertim iuris naturae theologiae morali haud leui adiumento eſſe. *Virtutes*

(b) igitur theologicas conſideramus ab ipſo praeſcriptas. Genuinum erat fundamentum, ex quo illas deduxit, *fides vera* (c). Claſſes autem primarias pro illorum temporum ratione fecit quatuor (d): *prudentiam*, *iuſtitiam*, *fortitudinem*, *temperantiam*, e) ſingulis autem ſuas denuo partes ſubiecit; *Prudentiae* f) videlicet *memoriam* (g), *intelligentiam* h) *prouidentiam* i) quae intellectuales virtutes ſunt; *iuſtitiae* (k) *religionem*, (l) *pietatem* (m), *gratiam* (n), *vindicationem* (o), *obſeruantiam* (p), *veritatem* (q), *aequitatem*; *fortitudini* (r) *magnificentiam* (s), *fidentiam* (t), *patientiam*, (u) *perſeuerantiam* (w); *temperantiae* (y) tandem claſſis *continentiam* (z), *clementiam* (aa) *ac modeſtiam* (bb) complectitur. Et de his eodem ordine ſubinde egregie diſſeruit, eoque ipſo, quid in hac theologiae parte eidem debeamus, oſtendit.

a) *Diuiditur enim philoſophia in tres partes, h. e. in phyſicam, ethicam & logicam, ſicut ſuperius oſtendimus. In phyſica igitur cauſa quaerendi, in ethica ordo viuendi, in logica ratio intelligendi verſatur.* Quod dein ad theologica adplicat, & in ſpecie ad argumentum librorum ſcripturae ſacrae. Obſeruat porro diſtinctionem in philoſophiam *inſpectiuam & actualem. Actualis, quae in operationibus huic vitae mortali neceſſariis conſiſtit. Per hanc legitur mos viuendi, honeſtus appetitus, & inſtituta ad virtutes tendentia exercentur. Vnde neceſſe eſt, vt qui ſapiens eſſe deſiderat & ad agnitionem verae ſapientiae atque ad contemplationem ipſius veritatis peruenire voluerit, ſacras ſcripturas ſecundum regulam catholicae fidei,* loca clariora ſcripturae, *intente legat, & ſecundum earum inſtituta in ſacris virtutibus bene viuendo ſemetipſum exercere ſtudeat, mundumque cor ab omni malo deſiderio & mundi cupiditate habere certet; ſicque ad deſideratum bonum, Deo opitulante, peruenire valebit &c.* Dein inter res propter ſuam ſolummodo dignitatem amandas & exequendas refert *virtutem*, *ſcientiam veritatis & amorem bonum*; v. de *vniu.* L. XV. c. I. p. 202. a.

b) *Virtus eſt animi habitus, naturae decus, vitae ratio, morum nobilitas;* de *vniu.* L. XV. c. I. p. 202. a. & L. II. *de actuali & contemplatiua vita* c. VI. *T.* VI. opp. p. 129. D. *Virtus namque omnis ſancta res eſt, diuina, incorporea prorſus atque mundiſſima. Quam mentes inquinatae non inquinant, ſed ipſa inquinatas emaculat, cuius participatione firmantur infirma, ſuſcitantur mortua, ſanantur infirma, corriguntur praua, reconciliantur aduerſa. Hanc non habet, niſi Deus & is, cui dederit Deus, quae in animo habitat, ſed animam corpusque ſanctificat,*

cat, ad quam nullus accedit inuitus, quam nullus amittit, niſi propria voluntate deceptus. De qua rurſum alias dicitur, virtus quoque animi habitus eſt naturae, decusque vitae, ratio morum, pietatis cultus, diuinitatis honor, aeternae beatitudinis meritum; de *anima* c. X. p. 130. C. *Veruntamen hoc noſſe & tenere debemus, quod iſtae virtutes quatuor vel omnes, quae ex illis exiſtunt, dona ſunt Dei, & quod nullus eas habet, aut habuit, vel habebit, niſi cui Deus, qui eſt virtutum omnium proprietas & origo, contulerit.* Et c. VI. p. 175. T. VI. H. *Virtus dicitur a vi, i. e. a fortitudine, quae ideo taliter dicitur, quia cuncta, quae prouenire poſſunt, quadam vi mentis, animique robore ſuſtinet &c.*

c) confer caput I. concilii Moguntini I. ſupra adductum. Hinc *de act. & contempl. vita* L. II. c. III. *fides*, ait, *iuſtitiae eſt fundamentum, quam nulla opera bona praecedunt, ex qua omnia procedunt, ipſa nos a peccatis omnibus purgat, mentes noſtras illuminat, Deo reconciliat, cunctis participibus noſtrae naturae conſociat, ſpem nobis futurae remunerationis inſpirat, augens in nobis virtutes ſanctas, ac nos in earum poſſeſſione confirmat.* & de *purit. cordis* L. II. p. 93. F. *quod omnia bona aut ex fide geſta virtutes ſunt, quae profecto iuſtificant.*

d) *partes principales* vocat L. II. *de act. & contempl. vita* p. 129. c. VI. E. & *de anima* c. VI. p. 175. H. *Virtutes quatuor morales, quia per eas mores hominum exornantur atque decorantur.* ——— *Si ergo hae 4. virtutes animum hominis obtinuerint, quaſi 4. angulis domus ſuſtinebitur, ne vlla vi tempeſtatum corruat.* ——— *Sed iſtae 4. virtutes ita ſibi ſunt connexae, vt alia ſine alia nullo modo perfectionem accipere queat.* Sigillatim easdem per ſpecies etiam L. III. *de agone chriſtiano* recenſet T. VI. p. 81. ſq.

e) Hodie ad tres claſſes potius referri ſolent virtutes morales, ad *pietatem*, *temperantiam*, *iuſtitiam*. Et ad has quoque virtutes a HRABANO indicatae reduci poſſunt. *Prudentia* quippe pertinet ad virtutes *intellectuales*, & *fortitudo* ad *temperantiam*, *pietate* dein ex ſecundariis, ac ſub iuſtitiae genere contentis, ſeorſim ſumpta. Confer, quae huc obſeruauit *vener. praeſes* in *inſtit. theol. moral.* P. I. c. I. Sect. IV. §. 68. ſq. & Sect. IV. §. CXXXVIII. * Iam vero ipſius auctoris noſtri veſtigiis in explicanda hac doctrina inſiſtere liceat.

f) *Prudentia ipſi eſt rerum diuinarum, humanarumque, prout homini datum eſt, ſcientia. In qua intelligendum eſt, quid cauendum ſit, quidue faciendum;* de *act. & contempl. vita* c. 7. p. 129. E. Dein a ſapientia, quae magis *in indagatione veri & inuentione* occupata, & a prudentia mundi ſedulo illam diſtinguit. *Perſpicit omnia, quae prouenire poſſunt, ſiue proſpera, ſiue aduerſa, vt videlicet caute agat, ne*

aliquando aut proſperis eleuetur, aut deiiciatur aduerſis; de anima c. 7. p. 176. B.

g) per quam animus repetit, quae fuerunt, de vniu. L. XV. c. I. p. 202. a.

h) per quam ea perſpicit, quae ſunt, ib.

i) per quam futurum aliquid prouidetur, antequam fiat. ib.

k) Iuſtititia eſt habitus animi vnicuique rei propriam tribuens dignitatem. In hac diuinitatis cultus, in hac humanitatis iura, & aequitas totius vitae conſeruatur. Haec partim ex naturae iure, partim ex conſuetudinis vſu conſtat, quia partes illius quoddam naturae ius inſerit, vt religionem, pietatem, gratiam &c. ib. Ex conſuetudinis ergo vſu iuſtitia obſeruatur, ita vt ex pacto pari, iudicatoque & ex lege conſideretur. Pactum quoque eſt, quod inter alios aliquos conuenit pariter, non omnes. Aequabile iudicatum eſt, quod alicuius magni viri aut aliquorum ſententiis conſtitutum eſt. Lex eſt omni populo ſcriptum ius, quid cauere & quid obſeruare debeat. Confer etiam lib. de euima c. IV. p. 176. F. Eſt propria nobilitas animi, quae vnicuique debitam praeſtat retributionem. Bonis ſc. dignam retribuens laudem, prauisque & malignis debitam ingerens vituperationis reprehenſionem.

l) quae ſuperioris cuiusdam rei, quam diuinam vocant, coram ceremoniamque affert; de vniu. l. c.

m) per quam ſanguine coniunctis, patriaeque beneuolis officium & diligens tribuitur cultus, ib. De iuſtitiae huius adhuc fonte procedunt liberalitas, beneficentia, charitas & caetera huiuscemodi, quibus multipliciter iuuari homines poſſunt. Liberalitas eſt, quae etiam in eos, qui nihil indigere videntur, exuberat, in qua liberalitate rei familiaris ponitur amplitudo Beneficentiae multa ſunt opera, quibus neceſſitati laborantium miſericorditer ſubuenitur & de terreno cenſu regni coelorum haereditas comparatur; de act. & contempl. vita L. II. c. VIII. p. 129. & 130.

n) in qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & renumerandi voluntas continetur; de vniu. l. c.

o) per quam ius aut iniuria & omnino omne, quod offuturum eſt, defendenpo aut vlciſcendo propulſatur. ib.

p) per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam & honore dignantur. ib.

q) per quam ea, quae ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur. ib.

r) eſt

r) eſt magno animo periculorum & laborum perpeſſio, ibidem; ſeu magna animi patientia & longanimitas & perſeuerantia in bonis operibus & victoria contra omnium vitiorum genera. Animi igitur fortitudo ea debet intelligi, quae non ſolum diuerſis pulſata moleſtiis inconcuſſa permaneat, ſed etiam nullis voluptatum illecebris reſoluta ſuccumbat. Alioquin, ſi impetus quidem malorum ſaeuientium frangat, ſi calamitatibus quibuslibet impetitus obſiſtat, ſi inter iniuriarum ſaeua, inter procellas augentium (angentium) preſſurarum, inter inimicitias & damna praeſentia atque multimodas perſecutiones infatigata perſiſtat ——— fortitudo noſtra eſt, quae ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, vt animum noſtrum nec blanda diſſoluant, nec aduerſa deiiciant. — & vtique animi fortitudo tam deſperandi ignauiam debet excutere, quam iactantiam contraire. Et quid hoc fortitudine melius eſt, quam diabolum vincere, omnesque eius ſuggeſtiones ſuperare, & aduerſa mundi pro Dei nomine fortiter, tolerare tr. de act. & contempl. vita L. II. c. IX. p. 130. Nemo melius vincit, quam qui ſeipſum vincit. de anima c. IIX. p. 176. E.

s) eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cognitio & adminiſtratio. de vniu. l. c. col. b.

t) Fidentia eſt, per quam magnis & honeſtis in rebus multum animus in ſe fiduciae certa cum ſpe collocauit. ib.

u) Patientia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa rerum arduarum aut difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio. ib.

w) eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. ib.

y) eſt rationabilis in libidine atque in aliis non rectis impetus animi firma & moderata dominatio. ib. eſt totius vitae modus, ne quid nimis homo vel amet, vel odio habeat, ſed omnes varietates huius vitae conſiderata temperet diligentia. Vnde quidam philoſophorum ait, apprime in vita eſſe vtile, vt ne quid nimis. Temperantia igitur temperantem facit, abſtinentem, parcum, ſobrium, moderatum, pudicum, tacitum, ſerium, verecundum. Haec virtus ſi in animo habitat, libidines fraenat, affectus temperat, deſideria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat. Omnia intra nos confuſa ordinat, ordinata corroborat. Cogitationes

prauas

prauas remouet, inſerit ſanctas, ignem libidinoſae voluptatis extinguit, omnemque intemperantiam noſtram ad honeſtum modum redigit. In cibo ipſo vel potu, vt contenti ſimus appoſitis. Temperantia eſt, quod reuerentiam ſenioribus exhibemus, aequales germanitus honoramus, iunioribus gratiam paternae dilectionis impendimus; de *actiua & contempl. vita* c. X. p. 130. B. C. & *de anima* c. X. p. 178. G. *Vnde & temperantia dicitur, quia animum temperat caloribus & frigoribus, ne nimis frigida, nimietate ſua reſtringat virentia arbuſta. —— Haec diſcretio alio nomine dicitur, quia omnia diſcernit, ne modum excedant, neque ad dexteram, neque ad laeuam nimium declinet: ſed quadam via regia gradiatur, temperetque gradum, ne vltra modum incedat.*

z) *per quam omnis mala cupiditas magna conſilii gubernatione regitur ac gubernatur.* de *vniu.* l. c. col. b.

aa) *per quam iniuria & odia miti animo retinentur.* ib.

bb) *per quam totius vitae modus ſeu animi ſeu in corporis motibus vbique honeſti cura ſeruatur.* ib.

XXV.

Cum autem virtutes haſce primarias ex genuinis ſcripturae ſacrae(a) ac ſanae rationis deducat fundamentis, iisque ſubinde ſpecialiores ſubiiciat claſſes, vel ex profeſſo locis hactenus indicatis, vel alia hinc inde occaſione data (b) tractatas; quid reprehendi in eo iure meritoque poſſit, non video. Voluntas (b) enim Dei vera omnino norma actionum eſt; bonae ſunt, quae cum praeſcripto eius conueniunt, quaeque diſcrepant ab illa, malae. Requirit haec cor purum (c), abnegationem ſui & illecebrarum mundi perfectam, amorem numinis, qui ex vnione arctiſſima (d) cum Deo ſequitur, & proximi dilectionem comitem habet.

Quo

Quo denique ordine Deus aliaque extra Deum exiſtentia amari debeant, ſollicite oſtendit (e). Non opus erit haec omnia prolixius diducere, quae ſpeciminis tantum loco eſſe debent. Pari etiam ratione vitiorum (f) ſingulas noſter claſſes perſequutus fuit, indicando, quae mala ſint, ex quo fonte oriantur, & quomodo poſſint emendari. Adfectuum (g) curam diligentem ſemper habendam eſſe, vbiuis commendat. Quae ex corporis habitu (h) virtutes ac vitia proueniant, non minus ſcite explicat. Vitia virtutis ſpeciem aemulantia & fallacias (i) naturae gratiam mentientis itidem adcurate detegit. Imperfectiones ſanctorum (k), luctam carnis (l) & ſpiritus, tentationes (m), incrementa (n) in ſanctitate, ſigna regenerationis & ſanctificationis nonnulla, actionumque humanarum non perfunctorie attigit. Veram enim fidem ſine fructibus merum eſſe commentum adſerit, operaque num carnis ſint, an ſpiritus explorare docet. Cum autem certis quibusdam mediis ſtudium hoc ſanctitatis & incrementum ſpiritualis vitae promoueatur, ſubinde egit, de poenitentia (o) quotidiana, eiusque partibus ac gradibus, meditatione verbi diuini perpetua (p), vſu legitimo (q) ſacramentorum, oratione (r) inſtanti ac ſeria, conuerſatione (s) cum viris pietate ac ſanctimonia conſpicuis, eorumque imitatione ſectanda (t). Quo ipſo in hac etiam doctrinae ſacrae parte officio ſuo pro indole illius aeui ſatisfeciſſe videtur.

a) Hinc L. XV. c. I. de *vniu.* col. b. *ſed*, ait, *dolendum eſt, cum illi philoſophi has virtutes ob illarum tantum virtutum dignitatem ad laudem vitae ſeruauerunt, quod nos chriſtiani ab his in*

in multis deuio errore declinamus, quando haec nunc in fide & charitate obſeruantibus aeternae gloriae ab ipſa veritate Chriſto Ieſu praemia pollicentur. *Sunt ergo hae excellentes virtutes in noſtra, h. e. chriſtiana religione intelligendae atque obſeruandae, vt ſapientia ſit, qua Deus ſecundum modulum humanae mentis intelligatur & timeatur & futurum eius credatur iudicium; iuſtitia, vt charitas Dei, eiusque mandatorum obſeruatio firmiter teneatur; fortitudo, qua hoſtis antiquus vincatur & aduerſa mundi tolerentur. Temperantia, quae libidinem refrenet, auaritiam reprimat, omnes animi impetus ſedet ac temperet; illeque finis in omnibus his virtutibus attendatur, vt diligatur Deus & proximus.*

b) Vbiuis enim moralia ſubiungere pro illius temporis conſuetudine conatus eſt. Eo facit etiam ſenſus myſticus ab illo adeo frequentatus.

c) Hinc gentilium, quamuis optima, opera, cum ex fide haud fluant & mandato ac directione ſpeciali diuina, non eſſe veras virtutes, prolixe demonſtrat *comm. in num.* L. I. c. I. p. 316. H. *Eſt enim virtus animi, quam Graecorum philoſophi docent. Sed haec non pertinet ad numerum Dei. Non enim pro Deo, ſed pro gloria exercetur humana. Eſt & Aſſyriorum virtus vel Chaldaeorum* —— *Sed haec non adiungitur ad calculum Domini. Sola autem apud Deum virtus Iſraelitica numeratur, h. e. illa virtus, quae a Deo docetur, quae per ſcripturas diuinas dicitur, quae per fidem euangelicam & apoſtolicam traditur.*

b) ſcripſit ad BONOSVM abbatem peculiarem librum de *puritate cordis*, T. VI. opp. p. 29. ſq. exſtat. Conſiſtit haec cordis puritas in depoſitione omnium cupiditatum carnis, mortificatione, contemptu & abnegatione ſui ipſius & rerum carnalium ac mundanarum abſtinentia. *Quid eſt*, ait, *peccato mori, niſi damnandis operibus omnino non viuere, nihil concupiſcere carnaliter, nihil ambire; ſicut enim mortuus carne nulli iam detrahit, nullum auerſatur aut deſpicit, nullius pudicitiam callida circumuentione corrumpit, nulli violentus exiſtit, neminem calumniatur aut opprimit, non inuidet bonis; aut inſultat afflictis, non luxui carnis inſeruit, non vinolentiae deditus in ſe, bibendi ſitim bibendo magis ac magis accendit,*

cendit, non odiorum facibus ardeſcit, non compendia iniuſta ſectatur, non potentibus aut diuitibus adulatur, non inquieta curioſitate raptatur, non domeſticae ſollicitudinis cura diſtenditur, non officioſis occurrentium ſalutationibus delectatur, nec ſuperborum iniuriis fatigatur, non eum ſuperbia inflat, non ambitio ventoſa praecipitat, non vana gloria turpiter iactat, non deſiderium glorioſae opinationis inflammat, non diſtinctio alieni actus illaqueat; non ad ſocietatem turpium turpitudinis amor inuitat, non rabies inſani furoris exagitat, non ſumptus otioſarum litium mactat, non ardor animoſae contentionis exanimat. Non facit impudentem audacia, iniquum iniuſtitia, ferum inclementia, varium inconſtantia, pertinacem contumacia, inſanum veſania, delitioſum gula, rebellem inobedientia, vanum iactantia, infidelem perfidia, leuem facilitas, ſaeuum crudelitas, manduconem turpis edacitas, impatientem mobilitas, mobilem inſtabilitas, vagum ſpiritualis infirmitas, iracundum animoſitas, ſuſpicioſum peruerſitas, verboſum vanitas, irriſorem malignitas, qui remotus eſt a ſecularibus prorſus illecebris, remotus ab inimicitiis, remotus ab inſidiis alienis, remotis a rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus a mendaciis ſiue periuriis. Poſtremo remotus ab omni genere flagitioſorum atque facinorum, quibus carnaliter viuentes Deum offendunt, & mortui peccato non ei ſeruiunt, & ita porro. Nam ſic per totum libellum docendo progreditur.

d) *Locus enim Domini eſt tabernaculum pectoris chriſtiani populi & atria eccleſiae catholicae, quae ille tanquam coelum ſemper inhabitat; comm. in libb. reg.* L. I. p. 54. B. *In interiore homine habitare Chriſtum per fidem in cordibus, in eo petit eos magis firmari, vt non ambigant, ſed magis credant Chriſtum habitare in ſe, quem non vident his oculis, vt ſpiritus datus hoc eis per Dei donum infundat, vt certi ſint de Chriſto, quod viuit & filius Dei eſt & habitat per fidem in cordibus noſtris, vt cum fidem eius habemus in cordibus noſtris, ipſum habere videamur* —— *per quem vtique ipſum in nobis habi-*

tare ambigere non debemus; comm. in epiſt. Paul. L. 18. p. 435. H. & & p. 436. C. *in ea domicilium ſedemque ſuam ponens. hoc autem totum per fidem fiet, ſi credamus in eum, habitatio autem iſta, quae per exordium fidei fabricatur, radices & fundamentum habuerat in caritate.* & p. 439. H. *vt Chriſtus non ex parte ſit, ſed totus in nobis.* Quibus, ſi opus eſſet, adhuc multa alia ex ſcriptis eius loca addi poſſent, quae breuitatis ſtudio iam omittimus.

e) De *trin.* L. XV. c. I. p. 202. b. *Quid enim facilius eſt amare ſpecies pulchras, dulces ſapores, ſonos ſuaues, odores fragantes, tactus iucundos, honores & felicitates ſeculi, quae velut volatilis vmbra recedunt, ante Deum amare, qui eſt aeterna pulchritudo, aeterna dulcedo, aeterna ſuauitas, aeterna frarantia, aeterna iucunditas, perpetuus honor, indeficiens felicitas, maxime cum diuinae* (vocem hic deeſſe quandam, facile patet, cum ſenſus non ſit integer; quaenam autem illa ſit, vix conſtat, niſi *perſonae* vocabulum ſubintelligendum eſſe, cenſeas) *nil aliud nobiscum agant, niſi vt diligamus Deum & Dominum noſtrum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente & proximum noſtrum tanquam nosmet ipſos.* ——— *Teneat ergo anima ordinem ſuum, vt diligat, quod ſuperius eſt, Deum, & regat, quod inferius, i. e. corpus, & ſocias animas dilectione nutriat & foueat.*

f) ſic tr. *de agone chriſt.* p. 77. ſq. agit de vitiis ceu igneis ſatanae telis, de ſuperbia, ira, inuidia, auaritia, gula, fornicatione, triſtitia, acedia. Adde *quaeſtiones canonum poenitent.* p. 110. ſq. Sic lib. I. de *vitiis & virtutibus &c.* octo principalia vitia expoſuit. Quorum fons ſit lapſus Adae, ſuperbiae videlicet, inanis gloriae, gulae, luxuriae &c. De *grauibus quoque peccatis* L. III. agit de *peccato & ſatisfactione* p. 130. ſq. ad quae inſuper adhuc accedit liber *poenitentium* p. 154. ſq. Singulis fontem ſuum adtribuit lapſum videlicet primorum parentum: *a paradiſi gaudiis poſtquam expulſum eſt genus humanum octo criminalia in filios Adae originaliter dominantur vitia; de peccatis & eorum ſatisf.* L. I. p. 125. H. His tandem proprias opponit virtutes, virtute Dei, precibus ac labore impetrandas: *quia nemo contra vitia rite pugnare poteſt, niſi qui ſacrarum virtutum opem habere ſtudet.* L. III. de *agone chriſt.* p. 81. G.

g) Adfectus

g) Adfectus inordinatos inter vitia refert ante recenſita, & hos, quamuis nondum in actu quodam adparentes, nihilominus coram Deo peccatum eſſe condocet. Ita de *agone chriſt.* L. III. p. 77. H. *Adfectu irae homicida pronuntiatur a Domino, quia non ſolum pro operationis effectu, ſed etiam pro voluntatis ac voti deſiderio vnicuique aut praemium reddet aut poenam.*

h) conf. meretur integrum cap. I. L. VI. de *trin.* quo per partes res tota expeditur.

i) Quae non ſunt dona Dei. *Haec ait; ſi poſſunt ingenio humano diſcerni, tamen ſine dono Dei, quantum mihi videtur, nec virtutes poſſunt appeti nec haberi; de purit. cordis* L. II. p. 63. F. quae nec ex fide proueniunt: *aut ſi fuerint ſine fide, non ſunt aliqua bona credenda, ſed vitia, quae non iuuant ſuos operarios.* ib. *Ac ſiquando fideles iuſtitia, pietate, miſericordia, manſuetudine, humilitate, innocentia, caeteriſque virtutibus gaudent, aut ſecundum Deum viuunt; & non ſunt, vera habere credendi ſunt, quae ſpiritaliter viuentes adeptae ſanctificant, & Deo commendant, aut ſecundum hominem viuunt, & non ſunt verae virtutes, ſed virtutum ſimilitudines &c.* ib. *Qui propter homines tantum aliquid boni operantur.* ib. p. 94. B.

k) *Non enim putant quidam ſtatim, vt qui ſanctus eſſe coeperit, peccare iam non poteſt, & continuo ſine peccato putandus eſt, ſi enim ſanctus non peccaret, non vtique ſcriptum eſſet, ſumetis peccata ſanctorum, ſi ſanctus ſine peccato eſſet, non diceret Dominus per* —— *Iſtos ergo quos ſanctificatos & ſanctos appellat, audi, quanta in eis peccata reprehendat.* ---- *qui ſancti dicuntur, non continue etiam ſine peccato eſſe intelliguntur. comm. in num.* L. II. c. XXI. p. 352. F. G. Et quando ſubinde de perfectione ſanctorum loquitur, euangelicam indicat intelligendam eſſe. Elegans quoque locus exſtat *comm. in epiſt. Paul.* L. IV. p. 226. G. *Ecce quemadmodum, qui ambulant in viis Domini, non operantur peccatum, & tamen non ſunt ſine peccato.*

l) de hac prolixe admodum *comm. in epiſt. Paul.* agit p. 226. ſq. *Vnde* inquit, *intelligere debemus, quando peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari, quando nequaquam*

quaquam ei voluntas noſtra conſentit, & tenet etiam corporis membra, ne obediant deſideriis eius, quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, niſi ſolum licita (illicita) deſideria, quibus ſi voluntatis non adhibeatur aſſenſus, mouetur quidem nonnullus affectus, ſed nullus ei relaxatur effectus &c. & de purit. cordis L. II. p. 94. C. Nemo eam ſibi conferre poteſt, cum poſſit, (velit) alteri autem non conferre praeualet nec auferre, itaque cum talis ac tanta virtus cuilibet inter voluptatates ſuas adhuc marcenti refulſerit, atque ei ad ſe concupiſcendam deſiderium ſalubre commouerit, protinus in animo eius duarum delectionum contrariarum rixa conſurgit, & mentem voluntas aduerſum ſe ancipiti delectatione diuiſam in diuerſa ducit ac reducit, modo reprehendendo, quod elegerat; modo quod reprehenderat, eligendo, atque ita in alterutrum latus ſe cogitationum varietate verſantem ipſe velut virtutis ac vitii tepidi medietas vexat ac lacerat &c.

m) Carm. 6. ad PRAECLARVM epiſc. p. 204. deſcribit officia idonei eccleſiae miniſtri, & inter alia tandem ait:

Horrida nulla tuam frangat temptatio (tentatio) mentem,
Fixus ſed maneat, vincere ſicque vales.
Aurum flamma probat, iuſtos temptatio mundat,
Purior vtque anima ſidera celſa petat.
Haec eſt vita viro iuſto temptatio tota,
Sed patiens tolerat cuncta pro amore Dei.
Quis ſine vel miles capiet certamine palmam,
Bella nefanda dabunt praemia magna ſuis.
Stemmate iam gaudet, belli qui ſcammate vincit,
Proelia poſt terrae regnat in arce poli.

n) Pertimeſcamus recedere a iuſtitia, ne inchoantes bona opera, ſine perfectione illa deſeramus, ne fiat, quod ſcriptum eſt, omnes, qui viderint, incipiant illudere ei dicentes, hic homo coepit aedificare & non potuit conſummare. ——— nec nos iuuat bene coepiſſe, ſi contigerit male finire, de videndo Deum L. I. p. 84. D. E.

o) Qui vero lachrymas indeſinenter fundit, & tamen peccare non deſinit, hic lamentum habet, ſed mundationem non habet. Si qui autem per gratiam Dei ad poenitentiam conuertuntur, perturbari non debent, ſi rurſus poſt emendationem relicta vitia corpulſent &c. L. II. inſtit. cler. c. XXIX. p. 21. A. Pergit hac de re L. II. c. 57. p. 31. H. & ne poenitentiae remediis non egere putemus, pro quotidianis humanae fragilitatis exceſſibus, ſine quibus in hac vita eſſe non poſſumus, ita vt poenitentiae compunctione fructuoſa vniuerſa fateamur deleri peccata.

p) Eo pertinet praeſertim caput de meditatione legis huc tendens, quod L. III. de agone chriſt. p. 74. b. reperies. Haec enim peccatorum teterrimam homini formam ſiſtit, modum poenitentiae ſalutaris praeſcribit, exemplisque confirmat. Huc etiam integer libellus tertius de modo poenitentiae p. 103. exſtans referri meretur. His adde c. XXVII. L. III. inſtit. cler. de acquiſitione & exercitio virtutum p. 44. & 45.

q) purgant hominem a delictis ac profectum conferunt ſanctitatis, de vniu. L. V. c. XI. p. 100. a. per cuius donum & a peccatis in baptiſmo abluuntur omnibus & in bonis proficere actibus adiuuantur. ib.

r) de poenitentiis laicorum L. III. p. 115. H. quotidiana vero leuiaque peccata, ſine quibus haec vita non ducitur, dominica oratione purgantur.

s) Sed haec pax cum bonis & Dei praecepta ſeruantibus cuſtodienda eſt, non cum iniquis & ſceleratis, qui pacem inter ſe habent in peccatis. Pax Chriſti ad ſalutem proficit ſempiternam, pax cum bonis & bellum cum vitiis ſemper habendum eſt. Mala ſiquidem hominum impiorum odio habenda ſunt. v. L. 3. de agone chriſt. p. 75. H. Ipſos enim ſanctos nos habentes ad exemplum, & eorum videntes per ſpiritum fortia facta, armamur ad proelium ſpirituale, & aduerſum ſpiritualia nequitiae in coeleſtibus dimicamus; comm. in eccleſ. L. VIII. c. IX. p. 484. B.

t) inter innocentes enim lauat manus ſuas, quisquis facta propria ſtudio bonae conuerſationis emundat. ——— Adiuuat etiam hominem ad ſalutem percipiendam aeternam oratio pura, adiuuat & praedicatio verbi diuini, adiuuat & dilectio pura verae charitatis, de vniu. L. V. c. XI. p. 100. b.

XXVI.

De rebus ad eccleſiam, eiusque conſtitutionem pariter ac ornatum ſpectantibus quaedam adhuc adiicienda reſtant. Tres eccleſiae ordines hoc aeuo quoque memorantur, conuerſantium ſiue laicorum, mona chorum

monachorum ſeu ſolitarius & clericorum. Gradus vero eccleſiaſtici VIII. epiſcoporum ſcilicet, quorum alii patriarchae, archiepiſcopi alii, nonnulli vero abſolute epiſcopi cognominantur. Vicarii autem dicuntur chorepiſcopi *propter pauperum curam, qui in agris & villis conſiſtunt, ne eis ſolatium confirmationis deeſſet.* Presbyterorum vero officium alteram miniſtrantium claſſem confecit, qui etiam ſunt ſacerdotes, cum adminiſtrare ſacramenta & verbum praedicare iis liceat; at frontem chriſmate haud ſignant, nec paracletum ſpiritum dant, neque cleros ordinant, quod ſolis reſeruatur epiſcopis. Diaconorum erat diſpenſare conſecrata; ſubdiaconorum oblationes fidelium afferre, lectorum legere, pſalmiſtarum canere, cantorum inter cantiones modulari, quorum alii praecinebant, ſuccinebant alii. Acoluthi cereos deportabant in ſignum laetitiae & typum lucis verae inter lectionem euangelii & ſacramentorum adminiſtrationem. Exorciſtae inuocant ſuper catechumenos & ſpiritu immundo adfectos nomen Ieſu, vt egrediatur. Oſtiarii claues tenent, in templis omnia cuſtodiunt, fideles recipiunt, reſpuuntque infideles. Monachorum alii erant coenobitae, qui in conſortio plurium viuebant; alii anachoritae, qui ſoli per deſerta habitabant. Chriſtianorum vero erant quidam neophyti, ſeu rudes fideles & nuper renati, nonnulli fidei doctrinam adhuc audiebant, & catechumenorum veniebant nomine: competentes iam in fide, quantum ſatis eſt, inſtructi, gratiam petunt; laicorum porro & proſelytorum nomen tum receptum legitur (a).

a) de his prolixe agitur L. I. de *inſtit. clericorum;* & L. IV. de *vniu.* c. V, VI. VII. p. 84. & 85. H. heic vel obiter notaſſe iſta ſufficiet, cum vſus eorum ſit exiguus. Vnicum de requiſitis doctorum ex L. III. *inſtit. cleric.*

ric. c. I. p. 34. E. adducemus: *quia & ſcientiae plenitudinem & vitae rectitudinem & eruditionis perfectionem maxime eos habere decet, qui in quodam culmine conſtituti, gubernaculum regiminis in eccleſia tenent. Nec enim eis aliqua eorum ignorare licet, cum quibus vel ſe, vel ſubiectos inſtruere debent, i. e. ſcientiam ſacrarum ſcripturarum, puram veritatem hiſtoricam, modos tropicarum locutionum, ſignificationem rerum myſticarum, vtilitatem omnium diſciplinarum, honeſtatem vitae in probitate morum, elegantiam in prolatione ſermonum, diſcretionem in exhibitione dogmatum, differentiam medicaminum contra varietatem aegritudinum.*

§. XXVII.

Noua quaedam *feſta* circa haec tempora memorantur, (a) quae tamen ad praeſens inſtitutum parum faciunt. Horas *canonicas celebrabant, matutino tempore, prima hora, tertia, ſexta, nona, veſpertina celebratio, completorium, nocturna vigiliarum celebratio aliaeque preces in vſu erant.* At tum aberat adhuc meriti opinio, quam Pontificii dehinc addere haud dubitarunt. Nam prolixe ex 1. Theſſ. V. omnibus momentis (b) orandum ad Deum eſſe, abunde probat, cauſamque, cur in ſpecie quaedam horae determinentur, indicat. *Sed ideo*, inquit, *hae orandi horae diuiſae ſunt, vt ſi forte aliquo fuerimus opere detenti, ipſum nos ad officium tempus admoneat.* Quod ad loca deinde ſacra attinet, multum hoc aeuo a priſtina ſimplicitate aberraſſe homines videmus. Monaſteria erant aſyla & carceres pro facinoroſis (c). Templa ac baſilicae molis mirandae in honorem ſanctorum (d) exſtruuntur, quos magno labore ac ſumptibus e diſſitis regionibus acceerſitos precibus multis, ieiuniis ac pompa afferebant, fictis miraculis & apparitionibus, ſuperſtitione (e) vulgi ſemper aucta, vt fraus eo felicius latere poſſet. Interim non ſemper omnes impiam (f) hanc ſuperſtitionem ſuo adprobabant calculo, quamuis ipſimet plus ſanctis, quam par erat (g), attribuentes. Haec ſiquis accuratius perpenderit, tantam caerimoniarum (h) farraginem hoc aeuo introductam eſſe, parum mirabitur. Equidem non licet nobis hic prolixioribus eſſe;

at pauca in ſequentibus eorum dabimus, quae ab aliis & RABANO ipſo fuſius ſunt pertractata.

a) Pertinent eo *feſta aſſumptionis Mariae, omnium ſanctorum, Michaelis* aliaque a SPANHEMIO prolixe expoſita. v. eius *hiſt. chriſt.* ſec. IX. T. I. opp. col. 1346.

b) vid. lib. II. de *inſtit. cler.* c. I. ſq. p. 14. ſq. & de *vniu.* L. V. c. XIV. p. 101. a.

c) conferri huc poſſunt, quae ſuperiori parte de GOTHESCALCO haereſeos conuicto ac in monaſterium detruſo diſſeruimus. Exemplum LVDOVICI PII, & vxoris IVDITHAE, in hiſtoria ciuili non minus eſt celebre, vt vlteriore diductione merito ſuperſedere poſſim.

d) Corpora S. *Sebaſtiani* martyris, *Marcellini* & *Petri* a. 827. in Franciam delata non ſine ſingulari veneratione recepit. v. *ann. Franc. Fuld.* ad h. a. Adde reliquias a DEVSDONA diacono Romano & SABBATINO Fuldenſi monaſterio 835. & 836. donatas. Templo monaſterii Hirsfeldenſis pari nomine inſignito WIGBERTI oſſa non minori religionis cultu intuliſſe dicitur. Pietatem hanc RABANI, quam ſuperſtitionem verius diceres, TRITHEMIVS pariter & RODOLPHVS prolixe commendant. Quin vitae RABANI omnem fere partem naeniae hae abſoluunt. Addere liceat epitaphia & carmina dedicationum in honorem ſanctorum ſcripta ac magnam partem a BROWERO edita. FR. quoque SPANHEMIVS l. c. col. 1344. ſq. ineptias has admodum docte perſtringit. MARCIANI corpus hoc ſeculo inuentum magno proſequuti ſunt honore, cuius tamen oſſa iuxta EVTYCHII ALEX. *annales* igne cremata dudum diſſipata erant. Dedit idem SPANHEMIVS l. c. clara fabularum indicia, quae nullum admittunt dubium. Quaenam principum quoque fuerit ſuperſtitio, ex cognomentis *ſancti, magni, pii,* quibusdam tributis probatur. v. BECMANNI diſp. *de cognominibus principum.*

e) fraudis, qua preſſis imponebant, vel vnicum adhuc exemplum, LVDOVICI Pii ex GAGVINO adduxiſſe ſufficiet. Sciebant quippe monachi liberationem Imperatoris certo imminere, cum iam complures poenitentia facti ad miſericordiam fati mouiſſet, ipſique filii de dimittendo patre deliberaſſent; hinc ad S. MEDARDVM & SEBASTIANVM preces fundere imperatorem iubent, opemque certam eidem pollicentur; conf. eius *compendium* de *orig. & geſt. Franc.* L. IV. fol. XXIV. ſeqq.

f) *commemoremus paſſionem eius, (S. BONIFACII) & ſic in loco reliquiarum illius celebremus gloriam triumphi eius, non enim aram conſtituimus Deo BONIFACIO, ſed vero Deo aram fecimus BONIFACIVM, quia ſedes vtique Dei eſt anima ipſius*; inter *homil.* T. V. opp. p. 594. b. Adde de *inſtit. cler.* L. II. c. 43. p. 26. b. ad *excitandam imitationem.*

g) v. *homil.* p. 596. a. *Reddamus illis* martyribus *honorificentiam, qui nobis ſalutem pro effuſione ſui ſanguinis pepererunt, qui tanquam ſacratam hoſtiam pro noſtra propitiatione ſe Domino obtulerunt.* —— Maria *pia interventrix pro nobis conſiſtat ad filium, qui eam tranſuexit &c.* adde p. 595. a.

h) de conſecratione, dedicatione locorum ſacrorum, contentis veſtibus, gloggis, miſſali & aliis huc pertinentibus ex RABANO iam praecipua loca collegerunt *cent. Magd.* c. VI. col. 123. ſq.

§. XXVIII.

Ritus quoque hoc aeuo magnopere cum ſuperſtitione multiplicabantur. Circa baptiſmum, ſacram coenam, ieiunia, preces, hymnos, lectiones, concionesque tanta erat copia ceremoniarum, vt iis res ipſae haud parum obfuſcarentur. *Baptizandus* prius doctrinae ſuae rationem reddebat (a), quam admitteretur (b); admiſſus trina ſubmerſione & numinis inuocatione, aqua conſecrata in nomine S. S. Trinitatis tingitur (c); deque fonte aſcendens a presbytero cum ſacro chriſmate (d) praeuia oratione ac ſequente vngitur. Tegitur ipſius corpus veſte candida (e) & caput velamine (f), manuque ab epiſcopo impoſita dona accipit ſpiritus ſancti (g); tunc admittitur ad *S. coenam* (h). Miſſis (i) heic catechumenis cantat clerus ad altare antiphona (k), agit letanias, orat ſacerdos, lector legit canonicam lectionem, cantor dicit reſponſorium, & dein halleluia (l), euangelium recitat diaconus (m), oblatione a populo facta, cantat praeſens clerus offertorium, & pallium linteum ſuper altare ponit cum vaſis (n) ſanctis, calice videlicet & patina, cantatur miſſa a ſacerdote, fitque conſecratio (o) precibus & cantionibus ac eleuantur elementa in conſpectum populi, ſequitur pacis oſculum (p), & his vel quotidie vel ſingulis dominicis ac feſtis diebus (q) peractis, dimittitur tandem populus (r).

a) *Catechumenus dicitur pro eo, quod adhuc doctrinam fidei audit, nec dum tamen baptiſmum recepit.* v. L. I. de *inſtit. cler.* c. 26. p. 9. A. *Primum interrogatur paganus, ſi abrenuntiat diabolo & omnibus damnoſis eius operibus, atque fallacibus pompis* —— *deinde apoſtolicae fidei oſtenditur ei ſymbolum & exquiritur ab eo, ſi credat in Deum patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum, & in Spiritum Sanctum vnum Deum in trinitate & vnitate; ſi confiteatur, vnam eſſe eccleſiam catholicam, & ſi credat remiſſionem peccatorum & carnis reſurrectionem. Exſufflatur ab eo ſacua poteſtas, vt per pium ſacerdotis myſterium ſpiritui ſancto cedat fugiens ſpiritus malignus, ſignaturque ipſe homo ſignaculo ſanctae crucis tam in fronte, quam in corde, vt ipſe apoſtata diabolus in vaſe ſuo ſuae interemptionis cognoſcens ſignum, iam ſibi deinceps ſciat illud eſſe alienum. Exinde iam di-*

dicuntur ſuper eum orationes, vt fiat catechumenus. Tunc datur ei ſal benedictum in os, vt per ſal typicum ſapientiae ſale conditus foetore careat iniquitatis & nec a vermibus peccatorum vltra putrefiat --- dehinc iterum exorcizatur diabolus; poſtea tanguntur ei nares & aures cum ſaliua --- vt per ſaliuam typicam ſacerdotis & tactum ſapientia & virtus diuina ſalutem eiusdem catechumeni operetur, vt aperiantur ei nares ad accipiendum odorem notitiae Dei, vt aperiantur illi & aures ad audiendum mandata Dei. Deinde benedictione ſacerdotali munitur, vt ad ſacrum baptiſmum cum fide accepta cuſtodiatur. Vngitur illius tunc pectus de oleo ſanctificato cum inuocatione ſanctae trinitatis, vt nullae reliquiae latentes inimici in eo reſideant -- Vngetur & inter ſcapulas de eodem oleo, vt undique muniatur & ad bona opera facienda per Dei gloriam roboretur. vid. l. c. cap. XXVII. Adde de modo catechiſandi L. I. de ſacris ordinibus p. 60. ſq. admodum fuſe dicta. item de ſcrutinio & abrenunciatione l. c. cap. X. p. 53.

b) de infantum baptiſmo ſupra diximus §. XXIII. n. e. Si vero paruuli ſunt, vel hebetes, qui doctrinam non capiunt, reſpondeant pro illis, qui illos offerunt iuxta morem baptizandi, de vniu. L. IV. c. X. p. 867. b. Intimandum ergo eſt atque inſtantiſſime praedicandum ipſis patrinis vel matrinis, quod fideiuſſores ſunt illorum, quos ſuſcipiunt de baptiſmate & pro quibus profeſſi ſunt, quia de ipſis reddituri ſunt Deo rationem, vtrum fidem Chriſti eis & veram religionem, cum ad aetatem intelligibilem peruenerint, inſinuauerint, an non? de ſacr. diu. L. II. p. 69. B.

c) Poſthaec iterum conſecratur fons & ad ipſum baptiſmum catechumenus accedit, & ſic in nomine S. trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. v. de inſtit. cler. L. I. c. XXVIII. p. 9. F.

d) ib. Poſtquam enim aſcenderit baptizatus de fonte, ſtatim ſignatur in cerebro a presbytero propter occaſionem tranſitus mortis, alias enim epiſcopi erat chriſma conficere & manus imponere, cum ſacro chriſmate ſequente ſimul & oratione, vt regni Chriſti particeps fiat, & a Chriſto chriſtianus poſſit vocari.

e) Poſt baptiſmum autem traditur chriſtiano veſtis candida, deſignans innocentiam & puritatem chriſtianam, quam poſt ablutas veteres maculas ſtudio ſanctae conuerſationis immaculatam ſeruare debet ad praeſentandum ante tribunal Chriſti, --- vel ad myſterium reſurgentis eccleſiae. ib. c. XXIX p. 10.

f) Tegitur enim poſt ſacram vnitionem caput eius myſtico velamine, vt intelligat, ſe diadematis regni & ſacerdotalis dignitatis portitorem. ib.

g) Nouiſſime autem a ſummo ſacerdote per impoſitionem manus paracletus traditur illi ſpiritus S. vt roboretur per Spiritum S. ad praedicandum aliis idem donum, quod ipſe in baptiſmate conſecutus eſt, per gratiam vitae donatus aeternae. Signatur enim baptizatus cum chriſmate per ſacerdotem in capitis ſummitate, per pontificem vero in fronte, vt priori vnctione ſignificetur ſpiritus S. ſuper ipſum deſcenſio ad habitationem Deo conſecrandam, in ſecunda quoque, vt eiusdem ſpiritus S. ſeptiformis gratia cum omni plenitudine ſanctitatis & ſcientiae & virtutis, venire in hominem declaretur. Interdum etiam bis chriſmate vngitur. v. ib. c. XXX.

h) Dein-

h) Deinde corpore & ſanguine dominico omne praecedens ſacramentum in eo confirmatur &c. c. XXIX. ib.

i) Miſſa eſt tempore ſacrificii, quando catechumeni foras mittuntur, clamante leuita &c. ib. c. XXXII. Miſſa autem eſt legatio inter Deum & homines, cuius legationis officio fungitur ſacerdos, cum populi vota per preces & ſupplicationes ad Deum offert. Et bene hoc tempore ſacrificii fit, quando illius paſſionis memoria celebratur, Chriſti videl. mediatoris Dei & hominum, qui ſemetipſum obtulit patri pro nobis. ib.

k) Ad introitum ſacerdotis ad altare antiphona cantatur a clero, vt audiatur ſonitus, quando ingreditur ſanctuarium in conſpectu Domini, ſicut in V. T. per tintinnabulorum ſonitum ingreſſus innotuit pontificis. ib. c. XXXIII. p. 13.

l) Poſt introitum autem ſacerdotis ad altare letaniae aguntur a clero, vt generalis oratio praeueniat ſpecialem ſacerdotis. Subſequitur autem oratio ſacerdotis, & pacifica primum ſalutatione populum ſalutans pacis reſponſum ab illo accipiat, vt vera concordia & charitate pura deuotio facilius poſtulata impetret ab eo, qui corda aſpicit & interna diiudicat. Tunc lector legit lectionem canonicam, vt animus auditorum per hanc inſtructus ad caetera intenſior adſurgat. Poſt hanc ergo cantor dicit reſponſorium ad compunctionem prouocet & lenos animos audientium faciat. ——— Alleluia, ſcil. vt ad coeleſtia mente populum ſubleuet, & ad diuinam contemplationem erigat. ib.

m) Deinde a diacono cum ſumma authoritate in auribus populi recitatur euangelium, vt ipſius ibidem audiatur doctrina, ad quem feruet intentio tota; ipſiusque virtus intelligatur per euangelium, cuius tunc corporis ſacroſanctum celebratur myſterium. Per hoc oblationes offeruntur a populo & offertorium cantatur a clero, quod ex ipſa cauſa vocabulum ſumpſit, quaſi offerentium canticum, immittiturque ſuper altare corporale h. e. pallium, quod ſignificat linteum, quo corpus ſaluatoris inuoluebatur. ib. adde de ord. ſacram. c. XIX. p. 55.

n) Ponuntur quoque tunc vaſa ſancta, quod calix eſt & patina, ſuper altare, quae quodammodo Dominici ſepulcri typum habent. ib. poſtea cantatur miſſa a ſacerdote, qui poſtquam loquitur de eleuatione cordis ad Deum, exhortaturque eos ad gratias agendas Domino, laudibus eos implet, rogatque vt ipſe omnipotens Deus pater, cui deſeruiunt coeleſtes poteſtates, ſua gratia illorum vocibus iubeat humanas aſſociare confeſſiones, quam deprecationem mox ſubſequitur laus ex angelicis & humanis cantibus confecta. ib. p. 14.

o) Dehinc iam conſecratio corporis & ſanguinis Domini fit, & deprecatio valida ad Deum, inter quae & dominica oratio decantatur. ib. Nec enim in ſacramentis aliud offerri licet, niſi quod Dominus ipſe conſtituit, & ſuo exemplo facere nos docuit, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur &c. c. XXXI. p. 12.

p) poſtquam enim ad communicandum & ad percipiendum corpus peruentum fuerit, pacis oſculum ſibi inuicem tradunt cantantes: agnus Dei, qui tollis &c. c. XXXIII. p. 14.

q) Quotidie eucharistiae communionem percipere nec laudo nec vitupero, omni-

bus tamen dominicis diebus communicandum hortor, ſi tamen mens in affectu peccandi non ſit. de *vniu.* L. IV. c. X. p. 88. a. item feſto paſchatis & pentecoſtes de *inſtit. cler.* L. II. c. 39. p. 24. & c. XLI. p. 26.

r) *poſt communionem ergo & poſt eiusdem nominis canticum data benedictione a ſacerdote ad plebem, diaconus praedicat miſſae officium eſſe peractum, dans licentiam abeundi.* c. XXXIII. de *inſtit. cler.* L. I. p. 14. A.

§. XXIX.

Lectiones ex Scriptura S. (a) & eius interpretibus (b) inſtituebantur, vel loco eorum etiam ſuas, quisquis poterat, explicationes ſubiungebat (c). Preces horis iam indicatis & etiam alio quouis tempore factae (d). Miſſa omnem cultum externum ſacrum (e) denotabat, illum tamen praecipue, qui inter adminiſtrationem S. coenae obtinebat; etiam pro mortuis (f) hoc ſeculo facta. Cantiones ac hymni varii generis intercedente modulatione decantabantur (g). Diſciplina interim inter hanc caeremoniarum multitudinem magnopere erat collapſa, exiguis plerumque poenis luebantur maxima (h) ſaepe crimina. Nihilo tamen ſecius ſua adhuc principes (i) iura hinc inde vindicabant, eaque omnia adhuc perſequebantur, quae ſucceſſu temporis clerici arripuerunt.

a) *Nam & ipſi legitimis praefinitisque diebus ex lege & prophetis lectionibus vtuntur & hoc de veteri patrum inſtitutione &c*, L. II. *Inſtit. cler.* c. LII. ſq. p. 29.

b) Huic inſeruiebant commmentarii HRABANI ab aliis expetiti, de quibus ſupra diximus.

c) *Quicunque enim officium decenter & rite peragere vult, doctrina & libris debet eſſe imbutus, ſenſuumque ac verborum ſcientia perornatus, ita vt in diſtinctionibus ſententiarum intelligat, vbi finiatur iunctura, vbi adhuc pendeat oratio &c.* v. c. LII. ſq de *inſtit. cler.* L. II. p. 29. ſq. Vbi lectoris officia quaeuis fuſe exponit. & L. III. ab initio.

d) v. §. XXVII. & de *inſtit. cler.* L. I. c. XXI. XII. p. 16. & de *ord. ſacram. & veſt. ſacerd.* p. 56. ſq.

e) exemplo eſſe poteſt c. XIX. de *ord. ſacram. & veſt. ſacerdot.* p. 55. ſqq. & c. XXX. L. I. de *inſt. cler. addit.* p. 14.

f) quam tanquam ceremoniam eccleſiae catholicae commendat c. XLIV. L. II. *inſt. cler.* p. 27. A. B.

g) Eo pertinent hymni ſacri, de quibus §. VII. not. I. diximus, & illi quoque, quos BROWERVS exhibet inter *poem. de diuerſis* p. 243. De diſcrimine inter cantica, pſalmos, hymnos, antiphonas & reſponſorias confer cap. XLVII. XLVIII. XLIX. L. & LI. L. II. de *inſtit. cler.* p. 28. ſq.

h) conf. Libros III. de *quaeſtionibus canonum poen.* p. 110. ſq. e. g. adulter presbyter ad poenitentiam redigendus & pellendus. l. c. L. I. c. I. ſic c. IV. *presbyter aut diaconus, qui in fornicatione aut periurio aut homicidio captus eſt, deponatur, non tamen communione priuetur.* Legi etiam meretur *luctuoſa deſcriptio carnaliter viuentium ſacerdotum* l. c. c. XIX. p. 112. G. Adde librum de *iudicio poenitentium laicorum* p. 118. ib. c. 7. prohibetur parricida militiae cingulum ſumere, vel coniugium inire. Non minus huc pertinet maxima pars canonum concilii *Mogunt.* a. 847. ſub RABANO habiti. Et ſic etiam in caeteris res ſeſe habebat.

i) *Imperatores* ac *Reges* ſynodos conſcribebant nullo a *Papa* conſenſu vel expetito vel impetrato. v. *epiſt. ſynodicas* ſynodorum *Moguntiacarum*, *Cariſiacarum* aliarumque tum habitarum. BARONIVS qui haec ſine omni hiſtorica fide in dubium vocat, ſibi ipſi aperte contradixit, quando ad 847. *annal. eccleſ.* T. X. n. XXVI. ipſe fatetur, *canones ſynodi Mogunt.* ſub RABANO primae ad LVDOVICVM, vt confirmaret, miſſos fuiſſe. OTGARIVM deponebat LVDOVICVS rex, & precibus ſubditorum indefeſſis permotus, reſtituebat tandem. Pontificum electionem adprobabant Imperatores, iusque ſuum aduerſus eosdem ſtrenue defendebant ac executioni dabant.

§. XXX.

Et haec fuerunt praecipua rei momenta, quam heic diducendam mihi propoſueram. Non quidem is ego ſum, qui omnem hiſtoriae huius ambitum exhauſiſſe mihi perſuadeam. Quin multa adhuc ſupereſſe, quae vlteriori diſquiſitione egent, lubens potius fateor. Multa huc ſpectantia hactenus videre & examinare nondum contigit, quae proinde abeſſe malebam, quam lectoris fallere iudicium. Sunt etiam in hoc labore multa, quae ſi adducta fuiſſent, inſtitutum vltra terminos extendiſſent, ſtudio hinc a me omiſſa. Nec aliorum labores huic operi feliciter inſumptos volui recoquere, vix tamen ſine laude illos, vbi occaſio data eſt, dimiſi. E genuinis caeteroquin fontibus, vbicunque potui, dicta euolui, ſcriptores rerum Germanicarum conſului praecipuos, nec tamen minus ex aliorum conatibus multum me profeciſſe fateor, quorum etiam nomina diligenter & animo grato indicare ſtudui, mentemque ipſorum ea fide, qua par eſt, exprimere. Nihilominus vix potiora materiae praeſentis capita exhibent,

hibent, quae expoſui, cum breuitatis, qua fieri poterat, memorem eſſe oporteret. Dici adhuc complura de literaria HRABANI eruditione poſſent, quae ſe ferme per omnes philoſophiae partes non infelici Minerua extendit. At haec magis philoſophica, quam theologica digna ſunt cathedra, atque hinc peculiarem merentur disquiſitionem.

S. D. G.

EMENDANDA..

Errores, qui ob typothetae mutationem iteratam, vel incuriam quoque, & ob nimiam ad nundinas Lipſienſes feſtinationem irrepſerunt, L. B. pro humanitate tua emendes atque condones. Praeter diuiſiones vero vocum vitioſas, literarumque mutationes ac transpoſitiones notari praeſertim ſequentes merentur, ne ſenſus hiulcus vel nobis contrarius, quem prae ſe ferre videntur, cuiquam officiat. Sic p. 22. l. 2. addatur: voce. l. 18. legatur: muſicae, p. 24. l. 27. ASCRIHVS, l. 28. & 29. HARDMVNDVS. l. 31. poſt (i) ad eundem confluxerant. p. 26. l. 27. poſt (l) poem. XIII. p. 206. b. p. 29. l. 28. Clareuallenſi, p. 32. l. 15. poſt amicus ponatur (e) & reliqui notarum indices dein promoueantur, vt fiant (f) (g) (h). l. 26. legatur Fuld. p. 33. l. 12. ſcriptoribus, p. 37. l. 20. ob. l. 26. PTOLOMAEVS. p. 40. l. 9. ſub fin. adſerunt, p. 66. l. 25. praetulit. p. 70. l. 13. inexhauſtae, p. 80. l. vlt. ἐξηγή legi debet. p. 82. l. 27. παραφράζει. p. 90. l. vlt. deleatur illud, p. 101. l. 15. fin. lit. (e) ſignum notae addatur &c.

MAR 3 1921

COLUMBIA UNIVERSITY
0032205023

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES

This book is due on the date indicated below, or at the expiration of a definite period after the date of borrowing, as provided by the rules of the Library or by special arrangement with the Librarian in charge.

DATE BORROWED	DATE DUE	DATE BORROWED	DATE DUE
APR 24 1947			
	MAR 18 1954		
C28(1141)M100			

Butler
D370.9
R11